


V
4652

~~17~~

530

XVII, 551.



24

EPIGRAMMATA

REVERENDI

ET CLARISSIMI VIRI

D. PHILIPPI MELAN-

thonis, iuxta partes Catechis-

mi collecta & distri-

buta,

OPERA ET STUDIO

Iohannis Cogeleri, verbum Dei

ex fontibus Israelis haustum

docentis Stetini.



STETINI.

Excudebat Andreas Kelnerus

in officina Eichorniana,

1572.

102





ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMI-
NO, DOMINO CASIMI-
ro, Duci Stetini, Pomeraniæ, Cassubo-
rum ac vetustæ gentis Henetæ, Prin-
cipi Rugiæ, & Comiti Gutzko-
uiæ, Domino suo cle-
mentissimo.

PHILIPPVS REX
Macedonum, Dijs summo
gaudio perfusus, toto pectore
re gratias egit, quod nato filio Alexan-
dro, Aristoteles summus Philosopho-
rum adhuc inter viuos numerabatur.
Iudicauit enim illud in loco summi be-
neficij esse ponendum, cum tales habe-
ret quibus commodè posset filium tra-
dere, qui ipsius animum rudem, hebe-
tem & impolitum, doctrina necessaria
liberaliter institueret atq; informaret.
Quanto magis autem nos possumus &
debe-

*

2

debe-

debemus DEO gratias agere, quod
in hac vltima & delirante senectū
mundi, excitauit salutare organum in
Ecclesijs atq; Scholis, reuerendum &
clarissimū virum D. Philippum Me-
lanthonem, cuius anima nunc in manu
DEI est, nec illam tangit mortis tor-
mentum. Nam illius labores multò
maiores vtilitatem attulerunt toti
generi humano. Proposuit equidem
Aristoteles multa vtilissima præcepta
in artibus dicendi, & in reliquis Phi-
losophiæ partibus: Sed maiori dexte-
ritate exemplis saluberrimis noster
Præceptor æterna laude dignus, hæc
omnia patefecit & illustrauit. Et quia
hæc est vita æterna & summum bo-
num, & æterna voluptas, agnoscere
DEVM Patrem, & quem misit Ie-
sum Christum. Certum est quod Ari-
stotelem hoc fugit, & hanc doctrinam
tunc

tunc crassis fuisse occultatam & circumfusam tenebris, non est dubium. Econtrà sicuti D. Philippus artibus liberalibus lucem clarissimam attulit. Sic quoq; DEI benignitate doctrinam cœlestem tunc quasi lucernam in obscuro loco apparentem, donec Lux illuxit, & Lucifer exortus est in cordibus nostris, verè accendit. Hoc est clarius luce meridiana. Quis etenim circumspiciatius scripsit de omnibus locis purioris doctrine? Quis maiori cum gravitate, maiori cum iudicio disseruit de morum gubernatione, de fructibus & operibus fidei? Quis maiori pietate & firmioribus nervis argumentorum docuit, quæ opera sint facienda, quomodo fieri possint, quomodo & cur Deo placeant? Quis potest vel debet in dubium vocare Orationes & Intimationes Domini Philippi, immensum mare do-

*

3

Strina-

Etrinarum esse, adeò vt Philosopho-
rum libros vix paludes esse iudices?

Et cum in hunc sermonem incidi,
propter multas causas non possum ver-
ba abrumpere, & à meo proposito de-
flectere. Hoc autem præcipuè in ipso
admirationem efficit, quod saluberrimis
exemplis doctrinam bonarum arti-
um illustrat, & illa ratione non tan-
tum præcepta necessaria tradit: Sed
simul pietatem, quæ habet promissio-
nem & in hac & altera vita, quando
ex vera fide proficiscitur atq; manat,
omni studio & diligentia accurata in-
stillat. Exempla tantum proponam ex
Grammatica, quæ in manibus puerorũ
quotidie habetur. In hoc libello, tales
insignes sententiæ emicant, & sicut
stellæ clarissimæ refulgent, vt inde si-
mul regulas vitæ non solum pueri: Sed
qui

qui ad gubernacula Rerumpublicarum
sedent, capere possint & debeant. An
non hæc dicta relinquunt aculeos, ut
aliquis qui non est prorsus de mente de-
turbatus, et in quo est mica saltem ali-
qua pietatis, & gutta sanguinis Chri-
stiani, ne prorsus timorem DEI abij-
ciat?

Discite iustitiam moniti, & non temnite diuos,
Noctes atq; dies patet atri ianua ditis.
Non seges est infra, non vinea culta: Sed audax
Cerberus & Stygiæ nauita puppis aquæ.
Nescia mens hominum fati, sortisq; futuræ.
Et seruare modum rebus sublata secundis.
Heu pietas, heu prisca fides.
Mors vltima linea rerum.
Vitaq; mancipio nulli datur, omnibus usu,
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.
Nam tua res agitur paries cum proximus ardet.

Quia verò multi grauitèr peccant
contrà primum Præceptum, quando
nimium dant vela superbiæ ventis:
hæc dicta nobis sint in conspectu.

* 4

Me.

Metiri se quemq; suo modulo ac pede, verum est.

Item. Tecum habita & noris quam sit tibi curta sup-
pellex.

Nosce teipsum. Nos poma natamus.

Sed non videmus manticae quod in tergo est,

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra

Fortunam debet quisq; manere suam.

Tanta ne vos tenuit generis fiducia vestri?

Luxuriant animi rebus plerumq; secundis,

Nec facile est æqua commoda mente pati.

Pæterea cum Magistratus fungan-
tur diuino munere, pietatis ratio postu-
lat, vt omnem moueant lapidem ne me-
tas & limites sui officij transilient.
Igitur hæc dicta ipsis in conspectu esse
debent.

Boni pastoris est tondere pecus, sed non deglubere.

Non est sapientis dicere, non putaram.

Vendidit hic auro patriam, dominumq; potentem.

Imposuit, fixit leges precio atq; refixit.

Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.

Ferrum tuetur principem? Melius fides.

Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes

Emollit mores &c.

Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

Iustitiæ

Justitiæ ne prius mirer, belluæ laborum.
Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.
Tum pietate grauem, & meritis si fortè virum quem
Conspexere, silent.

Iuuenalis :

Dat veniam coruis vexat censura columbas.
Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci
Descendunt reges, & sicca morte Tyranni.

Econtra & subditi admonentur
officij sui his dictis :

Oderunt peccare boni, virtutis amore.
Tum deniq; homines nostra bona intelligimus, cum
quæ in potestate habuimus, ea amisimus.
An nescis longas regibus esse manus.

Postulat etiam Deus in quarto
Præcepto, non tantum, vt parentes
nostros honore debito prosequamur,
sed vt seniores quoq; reuereamur. Igi-
tur inquit Iuuenalis :

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non assurrexerat,

Et quia Deus à nobis seriò effla-
gitat

* 5

gitat, vt proximum debito amore prosequamur, hi versus nobis sint in conspectu, praesertim cum non obscure doceant, quomodo scintillae amoris prope modum sint extinctae.

Amicus certus in re incerta cernitur,
Quantum quisq; sua nummorum possidet arca.
Tantum habet & fidei.
Proximus egomet mihi.
Turpe quidem dictu sed si modo vera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat.
Donec eris foelix, multos numerabis amicos,
Nullus ad amissas ibit amicus opes.
Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est experiunda fides.

Sit igitur nobis econtà notum hoc dictum:

Secundum Deos, Homines hominibus, maxime utiles esse possunt.

Est etiam Dei voluntas, vt simus grati & memores beneficiorum, quae ab alijs accipimus.

Terent-

Terentius:

Dij tibi benefaciant, cum te video, nostræ familiæ
tam ex animo factum vello.

Maximè quoq; pugnat aduersus
quintum Præceptum, quando laxamus
frenum iræ, nec modū seruamus.

Capuloq; tenuis ferrum impulit ira.

Furor, iraq; mentem

Præcipitant.

Discordia fit carior concordia.

Furor fit lesa sæpius patientia.

Quæ venit indignè pœna dolenda venit.

In sexto Præcepto debet lucere ca-
stitas & aliæ virtutes pedissequæ.

Nox & amor, vinumq; nihil moderabile suadent,

Forma viros neglecta decet.

Bonosus imperator cum vitam laqueo finiisset dictus
est amphora pendens.

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima stulti-
tia caruisse.

Nec est obscurum, quod pugnent
cum Præcepto septimo auaritiæ sitis,
& studium insatiabile quærendi opes,
vel

vel omnino diffluere ocio & alijs tantum esse oneri, huc referenda sunt hæc dicta:

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

Effoduntur opes irritamenta malorum.

Impiger extimos currit mercator ad Indos,

Per mare, pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

O ciues, ciues quærenda pecunia primum.

Quàm iniquè est comparatum, hi qui minus habent, ut
semper aliquid addant diuitioribus.

Auriculas asini Myda rex habet.

De ocio vitando quoque testimonia
sint in conspectu:

Omnes homines summa ope niti decet, ne vitam silentio transigant, veluti pecora.

Nulla dies sine linea.

Tempora labuntur tacitisque senescimus annis,
Et fugiunt freno non remorante dies.

In octauo Præcepto veritas & reliquæ virtutes tanquam scopus & meta esse debent. Peccata verò pugnantia cum hoc præcepto tanquam Scyllam & Charybdim vitabimus.

Vbi

*Vbi rerum testimonia adsunt, non opus est verbis.
Obsequium amicos, veritas odium parit.*

Cicero:

*Si quis alteri maledicit, petulans videtur.
Inuidere omnes mihi, mordere clanculum, ego non
floccipendere.
Qui curios simulant, & bachanalia viuunt.*

Terentius:

*Tua quod nihil refert percontari desinas.
Fama malum quo non aliud velocius vllum.*

*Huc quoq; Prouerbia & prouer-
biales sententiæ referendæ sunt, quæ
in illo libello asperguntur, præsertim
cum nos de multis rebus commonefa-
ciant.*

*Nos poma natamus.
Nihil charius constat, quam quod emitur precibus.
Est virtus placitis abstinuisse bonis.
Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas.
Medio tutissimus ibis.
Ibo animis contra, vel magnum præstet Achillem.
Nunc animis opus Æneas, & pectore firmo.
Nos patriam fugimus tu Tityre lentus in vmbra.
Manus nostræ oculatæ sunt, credunt quod vident.
Non eget Mauri iaculis nec arcu.*

Ne

*Ne Hercules quidem aduersus duos.
Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines.
Quos vltra citraq; nequit consistere rectum.
Si te nulla mouet tantæ pietatis imago,
At ramum hunc &c.*

*Ludere qui nescit campestribus abstinet armis,
Indoctusq; pilæ, disciue trochiue quiescit.*

Naturam expellas furca tamen vsq; redibit.

*Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.*

*Hæc non temerè subieci, & ed
magis cum hæ sententiæ dulcissimum
succum saluberrimarum doctrinarum
contineant. Hoc cum ita sit, nemo non
hæc scripta reuerendi Domini Philip-
pi, etiam maximè puerilia, summa cum
obseruatione, circumspectione et reueren-
tia legere debet. Sed quid hic tam lon-
gè petitus excursus? Quid hæc coacer-
uatio multarũ sententiarum sibi vult?
Respon: Vt non obscurè appareat nos
incidisse in multò feliciora tempora,
atq;*

atq; illi qui Aristotelem præceptorem
habuerunt. Non solum enim reueren-
dus vir D. Philippus partes Philoso-
phiæ ex fontibus tradidit: Sed pul-
cherrimis exemplis illustravit, quæ non
tantum docent de externa morum cir-
cumspecta gubernatione: sed simul
veram pietatem insculpunt & obfigu-
rant. Etsi autem multa præclara
dicta similia reperiantur in scriptis
Philosophorum & Poëtarum: tamen
magnum est discrimen. Philosophi do-
cent, quod virtutum causæ efficientes
principales sunt, mens rectè iudicans,
secundum legem naturæ, aut præscri-
ptam, & voluntas obtemperans. Acce-
dunt causæ minus principales, impetus
naturalis, doctrina, & assuefactio fa-
ciens habitum. Causæ finales, sunt
ipsa pulchritudo virtutis, sicut dici-
tur, Virtus propter se expetitur. Item,
gloria

gloria seu bona fama, vtilitas publica
vel priuata, vitatio pœnarum, & in
multis etiam conscientie tranquillitas.
Dominus Philippus docet in suis scri-
ptis sepius, causam Christianarũ vir-
tutum esse Spiritum sanctum, mortifi-
cantem carnem, regenerantem & ac-
cendentem per verbum in homine nouã
lucem, fidẽ, agnitionem Dei, & volun-
tatis eius, ac regens et gubernans men-
tem, vt in fide iuxta Dei verbum co-
gitet, iudicet ac eligat, ac voluntatem
mouens & gubernans, vt in fide iuxta
Dei verbum obtemperet. Augustinus:
Aguntur Spiritu Dei sancti, vt agãt,
non, vt ipsi nihil agant. Et accedunt,
doctrina, institutio Christiana, ac pie-
tatis exercitia, sicut scriptum est, ex-
erce te ad pietatem, i. Timo. 4.

Causa finalis præcipua & prima
est

est gloria DEI, sicut 1. Corinth. 10.
scriptum est: Quidquid facitis, omnia
ad gloriam DEI facite. Et Christus
inquit: Sic luceat lux vestra coram ho-
minibus, ut videant vestra bona ope-
ra, & glorificetur pater vester, qui in
cælis est. Cum hac coniunctæ sunt
aliæ causæ finales præcipuæ, videlicet,
ut in fide præstetur DEO obedientia,
iuxta ipsius mandata, de dilectione
DEI & proximi, ne amittatur gratia
DEI, & promissio vitæ æternæ, ne
excutiatur Spiritus sanctus, fides, &
bona conscientia, quæ in inuocatione
est necessaria, ut non afficiatur contu-
melia filius DEI, Verbum, & mini-
sterium Euangelij, & Ecclesia, ut vi-
tentur scandala, & ne nosmetipsos ex-
cludamus ex promissionibus præmio-
rum, ac subijciamus comminationibus
pœnarum, nec simus piacula & causæ
publicæ

**

publicæ

publicarum calamitatū. Hic videmus
illustre & euidentis discrimen. Et quia
Dei beneficio reuerendus vir D. Phi-
lippus passim in suis scriptis doctrinā
ex fontibus Israëlis haustā, illustrauit,
omni studio & summa fide hoc deposi-
tū religiosè custodire nō dubitabimus,
vt ita verbum DEI inter nos habitet
abundè in omni sapientia. Hoc cum
ita sit, bono animo ac simplici studio
collegi Epigrammata ipsius, & illa,
iuxta partes Catechismi distributa, in
ordinem redege, in eam spem adductus,
& quemadmodum spero verissimam,
hunc laborem plurimum iuuentuti stu-
diosæ profuturum. Etsi autem &
alij sunt qui etiam collegerunt carmi-
na Domini Philippi, quæ leguntur in
multis Scholis, vt simul Scholastici
animos suos vera pietate imbuant, &
rectam, planam & facilem viam, &
ratio

rationem faciendorum versuū habent :
tamen hanc distributionem & hunc
ordinem vtiliorem esse existimo. Vo-
lui autem Princeps Illustrissime C. T.
hunc libellum dedicare, & quasi con-
secrare, quia non obscure cognoui atq;
perspexi, quod C. T. animum illustrio-
rem reddere non dubitat, vera pieta-
te & liberalibus studijs. Tunc Prin-
cipes verè fiunt illustrissimi, tunc fiunt
stellæ conspicuæ. Hæc sunt insignia
Principum, hæc sunt lilia et rosæ, qui-
bus latè longeq; de se suauem odorem
spargunt, & alijs communicant, his
trabibus et fulcris Respublicæ seruan-
tur. Sicuti igitur C. T. hoc modo
omni laude cumulatur: Sic toto pes-
tore & ardentibus votis precor, ve
fœliciter in hoc curriculo & stadio
procedat & progrediatur. Deinde
iudicavi etiam me hac ratione calcaria

**

2

esse

esse additurum Scholasticis, vt non
solum hunc libellum legant studio-
sius: Sed reuerendum & clarissi-
mum virum D. Philippum Melancho-
nem suis scriptis adhuc non dubitent
esse communem eruditorum omnium
nostri seculi Præceptorem, cum fuit
instaurator studiorum omnis doctrinæ
piæ & liberalis, singulari DEI mune-
re datus, & assertor ac vindex acer-
rimus, ac propagator fœlicissimus.
Oro igitur vt celsitudo T. hunc libel-
lum studiosè legere, & hanc meã qua-
lemcunq; operam gratam acceptamq;
habere velit. Deinde etiam atq; etiam
oro, vt DEVS, faciens vt oculus vi-
deat, & auris audiat, ipse ad guber-
nacula sedeat administrationis, & Ec-
clesiasticæ & politicæ gubernationis,
vt fratres T. C. Illustrissimi & in-
clyti Principes sint amantes pacis,
quam

quam omnes vno suffragio optare de-
bemus, vt sint Bugslai **DEI** laudem
celebrantes, vel **Dij** populorum, vt
sint **Lodouici** vicus & munimentum
populi, vt sint **Barnimi** filij chari,
DEO placentes. Postremò **DEVM**
æternum Patrem Domini nostri **IE-**
SU CHRISTI omni contentio-
ne oro, vt illustrissimam Matrem om-
ni laude pietatis antecellentem, & om-
ni virtutum splendore ornatissimam,
C. T. Matris solamen in terris, fra-
trum illustriss: gaudium, communi pa-
trie, Ecclesie, literis, paci subdito-
rum, posteritati & rebus bonis omni-
bus, diu seruet, incolumes, florentes &
beatos.

Stetini, primo Ianuarij, quo
annum post **CHRISTVM** vni-
cum nostrum Salvatorem natum, in-
gredimur 1572. Oro autem crea-
torem

**

3

torem

torem cæli & terræ, **DEVM** omnipotentem, in quo sumus, viuimus atq; mouemur, vt in nobis sit, in nobis viuat, nos moueat, & in omnem veritatem ducat.

Hoc die primum demum apparuerunt Noë incluso in arcam, humiliorum montium cacumina, cum tamen arca in montibus Ararath iam constitisset 74 dies, Genesis 8.

Hoc die Sigismundus I. Rex Poloniae Casimiri regis filius nascitur anno 1467.

Item, Ludouicus XII. Gallorum Rex, Parisijs moritur anno Christi 1515 ætatis 55.

Christianus Danicæ & Noruegiæ Rex, verus Christianus & nomine & re, Dux Holsatiæ, in pia
con

confessione & inuocatione filij **DEI**
Domini nostri IESV CHRIS-
TI placidè obiit, Anno Christi
1559. etatis suæ 56.

Inchyta & illustriß:
celsitudinis **V.**

seruus,

Iohannes Cogelerus incorru-
ptam doctrinam Euangelij
propagans Stetini.

**

4

Candis

CANDIDO ET INTELLIGENTI

Lectori S. P. D.

NON dubium est, ingens & omni prædicatione dignum esse beneficium, quod in hac vltima & delirante senectâ mundi, ars Typographica Deo dante sit reperta. Nam quantam vtilitatem Ecclesiæ atq; Scholis peperit, res ipsa loquitur. Quemadmodum autem merito & optimo iure, Deo debemus pro hoc & omnibus alijs beneficijs gratias agere: Ita debebant etiam artifices hoc dono non tam negligenter, ne dicam impiè abuti. Multi enim typis excudunt varia scripta, quibus non Ecclesiam ornant: sed deformant, non sanant: sed sauciant, non edificant: sed destruunt. Et si autem hoc imputandum & ascribendum

bendum ipsis authoribus affirmant:
tamen aliqui Typographi grauiter pec-
cant & impingunt, quod tanta negli-
gentia vt maiore non possint, multa
pia & vtilia scripta excudunt, adeo
vt vix possis assequi sententiam quid
author dicere voluit.

Ego equidem hoc expertus sum,
quando in lucem editi sunt duo libri
Francoforti ad Mœnum, in quibus ar-
gumenta & obiectiones collegi, qui-
bus aliquot Epistolas explicavi, &
multis locis difficilioribus tam in ve-
teri quàm in nouo Testamento lucem
addidi, in eam spem adductus, &
quemadmodum adhuc spero verissi-
mam, hunc laborem nocere nemini, sed
prodesse plurimis. Quàm verò erro-
res crassi irrepserint inter excuden-
dum, rudi inscitia & turpi negligē-
tia

tia Typographi, non sine magna ani-
mi commotione vidi, adeò vt prope-
modum in eam sententiam descende-
rem, me post hac reliquas partes non
editurum, nisi mihi calcaria adderent
alij boni viri, qui maiorem fidem et ac-
curatiorem diligentiam promississent.

Peto igitur etiam atq; etiam om-
nes pios Lectores, vt candorem adhi-
beant, quibus isti libri in manus per-
uenerunt, nec mihi, sed typographo
hoc imputent, qui non eam quam
debebat diligentiam adhi-
buit, Benè vale.

Ad

AD STUDIO sam Iuuentutem.

Colis Mineruæ sacra quisquis innubæ
Et imbuis tuum artibus
Pectus bonis, & instrui rerum cupis
Multiplici scientia:
Has sedulo quæ te docebunt plurima
Reuolue, volue paginas.
De rebus & grauibus monebunt carmine
Suo hoc polito sæpius.
Nam si iuuat præcepta vitæ discere
Gratos honestis, quæ viris
Reddant tuos mores: libello, ex hoc peti
Possint: vt hoc Helyconij.

Quiæ absq; præceptore prouide sequi
Lucem insitam scit mentibus,
Ac, eligens id recta ratio quod iubet
Rebus suis sic consulit:
Hic laude dignus, ritè præferri suis
Reliquis potest sodalibus
Alij, sagaci mente præditi minus
Præesse possint nec suis,
Parent tamen fideliter monentibus,
Laudem & merentur hi suam.

Sed

Sed qui nec ipse rebus in suis sapit,
Est & Coraëbo stultior,
Verenda patrum iussa, legum vincula,
Et aure surda præterit.
Indulget aſt prauis suis affectibus,
Ruitq; vesano impetu
Quocunq; compellit libido noxia,
Orbata sensibus suis,
Dignus nefando est hic probro, & lethalia
Incurrit odia in omnium,
Accersit & cervicibus malum suis
Perire quo mox cogitur.

VEL quod docebat filium Peleus suum
Ad mœnia iturum Ilij.
Fortuna belli cum sit anceps perfidi,
Datur à Deo & victoria.
Hanc à Dijs cœlestibus supplex pete
Qui prosperum exitum dabunt.
Vnum stude hoc mi gnate tu fortissime,
Frenes vt iram pectoris,
Quo sit nihil maius: fauoremq; omnium
Fili mereberis tibi.

SI in rebus arctis mens tibi sit anxia,
Multis malis & obruta,
Deum petas & alloqui, grauamina
Cordis tui atq; effundere

In se-

In solius Dei sinum. Quæ recreant
Perterritam mentem tuam,
Soluta reddant corda curis omnibus:
Suppeditat hic liber tibi.

CEV te iuuant, imagines pulcherrimæ
Quas indidit rebus Deus.
Multas habebis editas his paginis
Quæ gratæ erunt legentibus,
Ut hoc: Relicta Abramides terra Phari,
Nili fluenta quam rigant,
Arabum attigissent arua thure diuitum,
Cum filiis charis suis.
Mœrore fracti, tædio exhausti viæ
Et solis æstu feruidi,
Quærent aquam, leuare qua possint sitim:
Sed terra cum limphas negat
Dira perire tota gens timeri siti.
A Mosis en mox virgula
Percussa iussu petra viuientis Dei,
Effundit vncæ copiam
Ut sic senes & turba virginum simul
Infantibus cum paruulis
Leuare possent gutturi sitim aridi
Firmare vires corporis.
Ecclesiæ speciem sacratæ denotat
Sic Cæycis deserta auis

Excudit

Excudit oua hæc incubat suis enim
Inter maris saxa ardua,
Cum magnus Austri permeat Sol limites,
Ac bruma feruet frigore,
Ac edat vt pullos suos, en cogitur
Æstus maris quiescere
Musa, hæc alia &, Melanthonis clara canit
Suis politis versibus
Spirant redolentem qui crocum, & cecropio
Lepore pertincti fluunt,
Et dulciore sunt Deorum nectare:
Cuius, nec vllius viri
Obliterabit nominis, liuor, decus,
Donec Poli stellæ micant.

ERgo euehendus est bonis præconijs
Labor Cogeleri diligens,
Quiue vt iuuentæ consulat conatibus
Armis dicatæ Palladis
In ordinem hæc redegit optime omnia
Lector vides vt candide.

Ioachimus Rigmannus

Epi-

EPIGRAMMA

ad Lectorem,

Omnipotens hominum pietatis semina primum
Mentibus insculpsit, notitiamq; sui.
Tradidit in montis diuinæ oracula Legis
Vertice, quæ vitæ regula firma forent.
Ut cunctos homines, quæ sint facienda, monerent,
Et quæ non, numen quale sit ipse Deus.
Ipsa Catechesis vitæ sit regula puræ,
Viuendi cunctis norma sit atq; pijs.
Omnibus hæc offert viuam doctrina salutem,
Et docet esse fidem, quæ capit vna Deum.
Quid deceat, liber hic, faciat quid pectora sana.
Quoq; modo dignè vita gerenda, docet,
Et cum proponat præcepta salubria vitæ,
Hoc tibi iam præsens qualia promit opus.
Quisquis es, hunc studio certes ediscere librum,
Assiduamq; precor volue, reuolue, manu.
Ille labor quamuis nullus: tamen esse videtur
Vtilis, omnipotens quem probat ipse Deus.
Vtilius nihil est, rerum cognoscere causas
Sacrarum, vitam quando pericla premunt.
Hunc igitur paruo lector sibi comparet ære,
Et quacunq; potest Sedulitate legat.

Barth: Elerd: VV.

ANNA

1611



DECALOGVS.

PRIMUM PRÆ CEPTVM.

Non habebis Deos alienos.

REQVIRIT AVTEM
& efflagitat à nobis primum
Præceptum, veram Dei agni-
tionem, fidem, dilectionem,
spem, timorem Dei, humilitatem, pati-
entiam, perseverantiam. Timor Dei est,
expauescere cogitatione iræ Dei aduer-
sus peccatum, & metu iræ ac iudicij diui-
ni vitare delicta, et se reuerenter Deo
subijcere, & voluntate ac verbo Dei om-
nia consilia & omnes actiones in vita spi-
rituali ac ciuili gubernare.

Causæ efficientes sunt: 1. Verbum
seu lex Dei, denuncians iram Dei aduer-
sus peccata, & præcipiens timorem Dei.
2. Spiritus sanctus accendens in menti-
bus cogitationem verbi, & hoc verbo
incutiens timorem. 3. Mens cogitans de
ira Dei, & voluntas ac cor seriò expaue-
scens,

A

scens,

scens, & dolens quod offenderit Deum,
& se voluntati Dei subiiciens.

Causæ impulsivæ seu προκαταρτικαὶ sunt:
1. Omnes calamitates totius generis hu-
mani, mors, morbi, excidia urbium &
gentium, fames, bella. Item horrendæ
pœnæ scelerum, quæ sunt velut vox di-
uina, concionans de ira Dei aduersus pec-
cata. 2. Omnes conciones pœnitentiæ
in Prophetis, Lex Dei, & horrendæ ma-
ledictiones additæ Legi, deniq; omnes
historiæ, quæ proponunt exempla hor-
ribilium pœnarum, quibus scelera Deus
vindicat. 3. Mors filij Dei, &c.

Pugnantiæ sunt: 1. Securitas, seu esse
sine cura, sine timore iræ Dei & iudicij
diuini, sine pœnitentia, sine fide & dile-
ctione Dei. 2. Superstitio trepidans ti-
more, vbi non est timor. 3. Epicureus
& Cyclopicus contemptus Dei. Propo-
nam igitur aliquot versus ex scriptis Re-
uerendi viri Domini Philippi, Præces-
ptoris mei charissimi.

Psalms

I.

PSALMVS. LXXXI. Deus
stetit in Synagoga, &c.

STat Deus in media turba, cœtuq; Deorum,
Terribiliq; alios increpat ore Deos.
Nunquis erit tandem scelerum modus? omnia iura
Oppressa à uobis uiq; doloq; iacent.
Nil iniudicijs inopis ualet optima causa,
Gratia sed tantum diuitis illa regit.
Quin vos efficite, vt probitas innoxia semper
Præsidio vestro tuta manere queat.
Nec circumscribi pupillos fraude sinatis,
Iniusti metuant tristia iura fori.
Sed nihil his monitis regum fera corda mouentur.
Nec cæcæ mentes numina summa timent.
Nulla voluptates moderantur vincula legum,
Miscent arbitrio fanda nefanda suo.
Sed meritas olim dabit ista licentia pœnas.
Conuenietq; actis exitus ipse suis.
Ecce ego de iuciam celsa de sede Tyrannos,
Cum manibus terras ipse mouebo meis.
Vos equidem esse Deos iussi, Gnatosq; vocaui,
Voce mea vobis regna tenere dedi.
Sed repetam titulos, & regni iratus honores,
Et dabitis pœnas vos aliquando mihi.

A 2

vig

Vtq; alij exuti regnis cecidere Tyranni,
Qui veluti plebis pars sine honore iacent.
Sic postquam tituli vobis ego dempsero honorem,
Lapsaq; cum fuerint sceptrasuperba manu.
Vos ignota eritis contemptaq; funera, sicut
Obscura vulgus morte perire solet.
At tu summe Deus surgas, terramq; gubernes,
Absq; tuo regnum numine stare nequit.
Omnes te gentes Dominum metuantq; colantq;
Omnia sunt etenim sub ditione tua.

II.

Psalmus CXII. Beatus vir qui timet
met Dominum.

Foelix ille Deum metuit qui pectore toto,
Et non fucata religionem colit.
Et qui diuinæ legi parere studebit,
Et cui deliciae sunt bona iussa Dei.
Fluctibus in medijs seruabitur ille, paternas
Implebitq; sua posteritate domos.
Et quanquam varijs iactetur sæpè periclis,
Attamen hunc summus seruat alitq; pater.
Huius conatus facilis fortuna fouebit,
Prouehat & dextro numine cuncta Deus.
Illius aestiuæ superabunt horrea messes,
Et fruges amplo fœnore reddet ager.

Hinc

Hunc pater ancipiti seruabit tempore, iusta
 Causa patrociniū vincet ubiq; Dei.
 Non deerunt vnquam dubijs solatia rebus,
 Quæ faciunt pectus firmitus esse viro.
 Lumina ceu tenebris apparent clara remotis:
 Sic tristi in veniet tempore lætus opem.
 Vir bonus afflicto facilis succurrit amico
 Et quacunq; potest sedulitate iuuat.
 Æraq; non ægrè dat mutua ferre petenti,
 Ac opibus largè subuenit ille suis.
 Nec sibi diuitias per fraudem aut quærit honores,
 Nec cuiquam iniustas inicit ille manus.
 Si quando exitium fortuna inimica minatur,
 Illius semper vult meminisse Deus.
 Et quia se curæ esse Deo considerare nouit,
 Non huic incutiet nuncia fama metum.
 Mens immota velut magno cum robore quercus,
 Constat, & in Domino spemq; animumq; locat.
 Sed qui contemnit cœlestia iussa peribit,
 Nam subito veniet magna ruina malis.
 Vir quoq; multa pius confert in pauperis vsum,
 Et fiet miseris portus & aura viris.
 Ille potest semper dubijs succurrere rebus.
 Isq; malis victus cedere nescit homo.
 Impius vsq; licet cœlestia numina culpet,
 Dicat & iratus iurgia multa Deo.
 Non impunè diu tamen hoc erit, impia tandem
 Turba graues pœnas suppliciumq; luet.

Audite omnipotens pater impia vtra precorq;
 Alud
 Audite enim Dominus huius, nec despiciat precor.

III.

Versus Hesiodi quos Aeschines
oraculum nominat.

Πολλάκι ξυμπάσσα πόλις καὶ
ἄνδρ' ἐπαυρεῖ ἔσ.

VNius ob culpam sæpè vrbs dabit integra pœnas,
Iustitiam spretis violat qui legibus, inde
Supplicium iratus de tota Iuppiter vrbe
Sumit, & immittit miseris pestemq; famemq;
Strata iacent varia morientia corpora clade,
Aut cecidit fugiens victorem exercitus hostem,
Auulsive solo merguntur in æquore muri,
Fluctibus aut medijs pœnas dabit obruta puppis.

IIII.

Versus qui recitantur in Oratione
Lycurgi contra Leocratem

IRatus ad pœnam Deus si quos trahit,
Auferre mentem talibus primum solet.
Caliginemq; offundit, vt ruant suas
Furenter in clades, sibi quas noxijs
Accerserunt vltro consilijs malis.

Prolo-

Prologus in Thyestem
Senecæ.

Saluete spectatores candidissimi,
 Honoris huc quicumq; nostri gratia
 Venistis, & fauetis artibus bonis,
 Quarum excolendarum modò causa, quicquid est,
 Quod operæ ponimus in agendis fabulis
 Sumimus, At ne detineam vos diutius,
 Dicam, Thyesten acturi Senecæ sumus,
 Et impia fratrum facta, tristesq; exitus
 Recitabimus, O quantum ambitio parit malè
 Sic regni scelerata cupiditas omnia
 Confusa iura naturæ contaminat,
 Ut frater impias fratri inijciat manus,
 Proinde spectandum exemplum damus utile,
 Nam cernere hac licebit in Tragœdia,
 Nil esse peius ambitione, quæ omnia
 Diuina, humana, iusq; & fas vertere solet,
 Quæ florentissimis quibusq; ferè fuit
 Exitio, ciuitatibus, quæ deniq;
 Tum plurimum nocet, cum in templa irruerit.
 Vbi hoc tempore sæuam exercet tyrannidem.
 O Dij quam tristis his impendet exitus,
 Qui dum parant regnum sibi, sacra polluunt.
 Sed ecce prodit Tantalus huc ab inferis,
 Is dicet argumentum huius Tragœdiæ.

A 4

De

Sane parente fere ope lapsis: horrentes undis
 Los humilis fauor ethereq; peribitq; iuuitis?

VI.

De inquietis ingenijs fortunam sibi
fabricantibus.

OMnia contigerint cum vitæ commoda multis
Firma valetudo, coniunx iucunda, laresq;
Et ciuilis honos, & pax dulcissima rerum:
Cur tamen humanæ mentis furiosa cupido
Appetit immensum semper sine fine modog;
Ærumnasq; volens fatumq; accersit acerbum?
Causa est vna Deum quod rectorum excutit audax.

VII.

Prodigium conspectum in ciuitate Si-
bari, sita in extrema parte Italiae,
antequam deleretur.

Cum Sibaris peritura fuit sunt omnia visa,
Præcedunt pœnas nuncia signa graues.
In medio conspecta foro bilem atq; cruorem,
Terribili specie lurida luno vomit.

VIII.

De Ecclipsi Lunæ, quæ erat die 28.
Octobris, anno 1547.

Certa Deus toti impressit vestigia mundo.
Agnosci sapiens conditor vnde queat.

Nes

Nec natas casu res esse ars indicat ipsa,
 Stellarum motus quæ regit atq; vias.
 Esse Deumq; docet menti lux insita nostræ,
 Separat à factis quæ viciosa bonis.
 Conscia corda Dei cum iustam Vindictis iram
 Quolibet admissio crimine mæsta, tremunt.
 Et semper culpam pœnæ comitantur atrocem,
 Et si sera, tamen præmia laudis erunt.
 Non vrbs, non regio, non ætas vlla seueri
 Iudicij exemplis, non domus vlla caret.
 Ac Deus vt flectat nos ad meliora, stupendis
 Incautos signis præmonet ipse datis.
 Sæpè timent aliquem conterrita sydera casum,
 Sæpè ingens tellus ceu ruitura tremir.
 At quos nulla mouent venturæ nuncia pœnæ,
 Cyclosum similes forsitan esse volent.
 Sponsi penelopes minitantiæ numina vident,
 Cum cernunt tota tristia spectra domo.
 Cumq; madent tetro sudantia saxa cruore,
 Et subitum Phœbum Cynthia nocte regit.
 Mox tamen hunc risum Sardoum pœna secuta est,
 Qualis contempti numinis esse solet.
 Nos igitur moniti tollamus lumina ad astra,
 Non aspernantes signa verenda Dei.
 Hesperias Phœbus cum cras mergetur in vndas,
 Luna tenebrasum proferet atra caput.
 Postq; dies aliquot cum iam decreuerit orbis,
 Venit & ad fines Scorpio Luna tuos.

Respicit, populiq; sui Res Optima omni q.

In Vindictæ opẽ fer: tu si respicis, arena

A S

Horren-

Horrenda inuoluet fratris caligine vultus,
Cum iam de cœli culmine mittet equos.
Et simul in tenebras incurrent Marsq; Venusq;
Callidus & fraudum structor Atlantiades.
Hei mihi quot motus populi, quantosq; furores,
Portendunt retro sydera iuncta loco?
Et licet astra regant homines, regit attamen astra
Noster, qui non vult stoicus esse, Deus.
Nos igitur quibus est afflicta Ecclesia curæ,
Assiduè oremus supplice voce Deum.
Leniat vt clemens hæc tanta pericula nobis,
Et sanet populi vulnera sæua sui.

IX.

Ecclipsis Solis anni 1532 die 30
Aprilis in meridie.

CRas vbi labetur medio Sol arduus orbe,
Infausta fratrem Cynthia nocte teget.
Nec vos ô iuuenes cœlestia spernite signa,
Nec superum vanas esse putate minas.
Quas autem Ecclipsis clades denunciât ista,
Hic typus ex aliqua parte monere potest.
Ecce subit tenebras Astrææ in sydere Phœbus
Et comites Martem Mercuriumq; trahet.
Legibus hi sacris quas diua Astræa tuetur,
Cum malè sunt positi maxima damna dabunt.
Vostamen à Christo votis exposcite pacem.
Vt pericla vnus pellere cuncta potest.

Eccli-

X.

Ecclipsis Lunæ anno 1533.
die 4 Augusti.

Nox ubi roriferas terras induxerit umbras,
Actus & hic fuerit Sole cadente dies.
Infectura teget ferrugine Delia vultus,
Æthereo fratris lumina cassa sui.
Ac velut æternas mundo factura tenebras.
Incutiet pavidis mentibus ipsa metum.
Fallor? an irati portendit numinis iram?
Ne superum vanas esse putate minas,
Non magis his annis metuendum vidimus vllum
Prodigium, veri Sydera si quid habent.
Infaustus tenebras spectat Saturnus ab ortu,
Et tacita populos fraude mouere parat.
Seuus ab Euronoto Mauors te Cynthia terret,
Iniustisq; armis impia regna petit.
Penè fuit similis fatali Ecclipsis in anno,
Quo misera cecidit rustica cæde cohors.
Nos igitur moniti signis orare iubemur,
Fiat vt iratimitior ira Dei.

XI.

Ecclipsis Solis anno 1534.
die 14 Ianuarij.

Eventus quod habent tardos cælestia signa,
Non idèd vanas esse putate minas.

Impius

Impius hic vulgi furor est contemnere fata,
Impietas pœnam verum habet ista grauem.
Ante canunt vobis venturos numina casus,
Et laevas mentes sæpè monere volunt.
Admoniti superum rursus flectamus vt iram,
Et fiant nostra mitia fata prece.
Sed sunt heu nimium surdæ mortalibus aures,
Non vllæ terrent pectora dura minæ.
Quare iterum sæuas portendunt sydera clades,
Cras vbi Sol medio traxerit orbe diem.
Æthereis tunc veçta plagis non omine fausto.
Obscura solem Cynthia nocte reget.
Crede mihi accelerant iam non contantia fata,
Euentus faciles sed dato Christe precor.

XII.

Ecclipsis Lunæ anno 1534. die
29 Ianuarij.

Postquam hodie Phœbus fuerit dilapsus in vndas,
Sudantesq; trabet sub freta fessus equos.
Lunaq; consurget per opaca crepuscula noctis,
Æthereas inter conspicienda plagas.
Huius vbi cœlo labetur pœna supremo
Vmbra, tenet nitidum sanguinolenta caput.
Ingentes motus populorum & bella minatur,
Hanc propè Gradiui noxia stella comes.
Non procul Hesperio Saturnus cardine miscet,
In populis fraudes, in populisq; neces.

Iam

*Iam toties hominum cœlestia numina mentes,
Irrita nec possunt signa tot esse, movent.
Horrendis nuper tremuerunt motibus Alpes,
Et ripam sensit Rhenus vtrumq; quati.
Nos igitur summi placemus numinis iram,
Ut fiant nostra mitia fata prece.*

XIII.

*In Parelia latè in vtracq; Albis ripa cons
pecta, anno 1551 die 21 Martij,
quæ fuit Natalis Ducis
Mauritij.*

*S*pargit vt in toto lucem Sol vnicus orbe,
Viuisicq; vnus cuncta calore fouet.
Vnicus æterni sic natus mente parentis,
Accendit radijs pectora nostra suis.
Heu cur plura tamen Solis simulacra videntur,
Et vacuo mendax ludat imago Polo?
Doctrinæ fingent aliqui ludibria forsan,
Adijcient alias dissidijsq; faces.
Sed tu gnate Dei longè mendacia pelle,
Concordes animos lux tua sola regat.

XIIII.

*De Cometa qui fuit conspectus
Anno 1556.*

*O*stendit terris & in aère multa sereno.
Irrita nequaquam signa futura, Deus.

Signaq;

Signaq; naturæ quæ non imitantia leges
 Portendunt subitum non procul esse malum.
 Vidimus hoc anno rapidum flagrare Cometen,
 Sulcantem dubias multa per astra vias.
 Quodq; fuit mirum, vicino Sole Cometæ
 Cum soleant primas arripuisse faces:
 Non prius accensos hic cepit spargere crines,
 Astrorum quam dux è regione stetit.
 Æquabat motu Phœbus noctemq; diemq;
 Vdaq; purpurei tempora veris erant:
 Halitus è molli sublatus ad æthera terra,
 Cum rutilæ specimen cepit habere comæ.
 Primum, qua cæli πρὸς ὑψίστης parte refulget,
 Semina, flammæ conspicienda dedit.
 Altius Arcturi mox ad fastigia pergit,
 Sub rapido nullas dum facit axe moras.
 Deniq; sicca super Cynosuræ sydera vectus,
 Occupat Arctosæ signa suprema plagæ.
 Inde gradum retrò facit, & quæ noster Horizon
 Astra capit cursu proximior legat.
 Ac simul auroram petit Eoumq; cubile,
 Phœbus anhelantes vnde reducit equos.
 Hic subit Iasiden, & quæ te trans vada ponti
 Aerium Perseu carpere fecit iter.
 Candida cornigeri Phœbus iam limina Tauri
 Nec modo Phryxæ vellus habebat ovis:
 Protinus illius vestigia trita Cometes
 Arripit, & Soli sydera iuncta tenet.

Hoc

Hoc iter errantis multi videre Cometæ,
Qui fera Teutonicis damna minatur agris.
Sunt anni decies octo, quo tempore vixit
Dux qui Burgundas Carolus auxit opes:
Tunc in suprema similis regione Cometes
Aeris, horrifico miscuit igne comam.
Is motu simili sese per inane volutans,
Permensus cœli climata multa fuit.
Astrææ primum tenuit consinia Libræ,
Arctoi petijt culmina deinde poli.
Sed remeans illinc, medium qua circulus orbem
Diuidit, astrigeram lumine textit ouem.
Nulla ætas vidit flagrantem impune Cometem,
Non leue venturum nunciat ille malum.
Tunc quoq; crebra tulit summis incommoda regnis,
Ciuiles motus, publica damna tulit.
Quippe secuturas strages, tristesq; ruinas,
Atq; tuæ retulit Carole signa necis.
Proxima vix ea post incendia venerat æstas,
Carolus Heluetico cæsus ab hoste, cadit.
Tu quoq; Tisiphone mundi, tu dirus Alastor,
Pestis & immensi fax Mahomete mali.
Paulo post fugiens cecidisti Hydrunte relicta,
Tandem blasphemus opprimit ira Dei.
Nunc quoq; blasphemus tangent Turcosq; Papamq;
Adproperans Nemesis iudiciumq; Dei.
Dogmata turbabit, passim sterilescere campos
Coget & adducet tempora dura famis.

Sed

Sed quæramus opem diuinitus, atq; precemur
Æterno gnatum de genitore λόγος.
Filius æterni λόγος & effigiesq; parentis,
Assiduus custos agminis ipse sui.
Defendet sanctos inter mala plurima mundi,
Qui mitem toto corde precantur opem.
Cura sit interea vitam coluisse modestam
Omnibus, & verbi discere intra sacri.

XV.

Psalmus CXXIII. Qui confi-
dunt in Domino.

Adhortatur ad fidem, quia Deus tue-
atur eos, qui ab ipso expectant auxilium.

VT scopulis immota suis Sionia rupes
Hæret, & aduersos spernere tuta notos.
Sic irata pijs nunquam fortuna nocebit,
Qui fidunt Superum numine posse regi.
Ecce vides Solymen quæ moles cinxerit urbem,
Et non humana mœnia facta manu.
Parua inter montes latet, immani aggere septa,
Et non accessis vndiq; clausa iugis.
Defenditq; suo propior nos numine summus.
Ignea se fieri mœnia datq; pater.
Ne populum feriant cœlestia sacra colentem,
Acta malos contra, noxia tela, viros.

Ne te

Ne te igitur capiat melior fortuna malorum,
Turpiter ut cupias destituisse Deum.
Non habet impietas successus, credite, longos,
Et male promeritos tristia fata manent.
Fœlicesq; p̄j, quos tu pater optime servas,
Continget portum te duce nostra ratis.
Ergo leua pater afflictos, vitæq; gubernam
Ambiguum cursum numine quaeso tuo.

II. PRÆCEPTVM.

*Non assumes nomen Dei tui
inuani.*

Sunt autem quinque virtutes præcipue, quas secundum præceptum flagitat.

- I. Vera inuocatio Dei.
- II. Gratiarum actio.
- III. Vera prædicatio.
- III. Confessio.
- V. Iusiurandum.

I.

Psalms LXVI. Iubilate. Qui
inuitat ad fidem, & docet nos
Deo curæ esse.

B

HUG

Hvc agite ô populi, summumq; agnoscite patrem,
Illius & laudes carmine ferre pio.

Et vos qui primi redeuntem cernitis vndis
Eoo Solem ducere ab orbe diem.

Et vos qui reuehi tenebras, noctemq; videtis,
Oceano fessos Sol vbi mergit equos.

Quem colimus verè esse Deum, rerumq; parentem,
Discite, & illius numine cuncta regi.

Non nati casu, non casu viuimus ipsi,
Condidit & factos seruat, alitq; Deus.

Ille iter incertum vitæ, cursumq; gubernat,
Illius verè curaq; , grexq; sumus.

Has laudes pueriq; Deo cantate, senesq; ,

Hic honor, hæc summo victima grata patri est.

Hinc sperare animis audete & poscere certum
Auxilium, tristi tempore quisq; sibi.

Nam bonus est Deus & miseros, auditq; , iuuatq; ,
Qui credunt eius se bonitate regi.

II.

De dicto Iohannis Baptistæ: Non po-
test sibi homo sumere quicquam,
nisi datum sit ei à Deo.

Iohan. 3.

Nvllius est fœlix conatus & utilis vnquam
Consilium, si non detq; iuuatq; Deus.

Tunc iuuat ille autem cum mens sibi conscia recti,
Mandati officij munera iusta facit.

Et si-

Et simul auxilium præsentî à numine Christi
Poscet, & expectat non dubitante fide.
Sic procedet opus faustum populisq; tibiq;
Navis & aura tuæ vela secunda vehet.
Inuictamq; Dei dextram vis nulla repellet,
Omnia cogentur cedere prona Deo.
Ipsa etiam, quamuis Adamanti incisa feruntur,
Cum petimus, cedunt fata seuera Deo.
Nec Deus est numen Parcarum carcere clausum,
Quale putabatur Stoicus esse Deus.
Ipse potest Solis cursus inhibere volantes,
Ipse velut scopulos flumina stare iubet.

Hæc autem omnia fusius in tertia parte Catechismi, in oratione Dominica explicabuntur.

III. PRÆCEPTUM.

Memento vt diem Sabbati sanctifices

Complectitur hoc præceptum tertium, officia docentium & discipulorum in Ecclesia atq; Scholis.

I.

Ex Psalmo 119. In æternum Domine permanet verbum tuum.

B 2

Sermo

Sermo tuus nunquam pater occidit irritus, & non
Spem fallit mentis, destituituè piæ.
Nulla potest vnquam tua dicta abolere vetustas :
Sic durat verbo condita terra tuo,
Quodq; indefesso cursu cœlum omne pererrat,
Et Sol formosum fertq; refertq; diem.
Descripsere vices illis tua iussa, viamq;
Seruat enim verbum, cuncta regitq; tuum.
Penè ego crudeli modo eram hosti præda futurus,
Vitaq; in æternam noctem abitura fuit.
Ni tua vox animam fugientem sola teneret,
Quæ te affirmat opem ferre solere pijs.
Hæc me tela inter fiducia textit & enses,
Addidit & vires hæc medicina nouas.
Nulla tui nobis venient obliuia verbi,
Nec meriti fiet gratia vana tui.
Et fidum miseris portum verbum esse canemus,
Nam sermone tuo reddita vita mihi est.
Nos tua cura sumus, rerum pater optime, teq;
Nos custode vno fidimus, atq; duce.
Cætera deficiunt nobis solatia, quare
Nos tua defendat dextera quæso pater.
Ecce tuum contra populum gens impia ferrum
Strinxit, & aduersus te gerit arma Deus.
Sed vires hominum tua vincent dicta, minasq;
Cætera prætereunt sed tua dicta manent.

Pfal.

II.

Psalmus LXXXIII. Quam dilecta tabernacula &c.

Præcipit ut amemus & summa cura ornare studeamus Ecclesiam Christi, hoc est, & verbum Dei, & ipsum publicum ministerium, & iubet huius ministerij causa fortiter perferre ærumnas, & pollicetur Ecclesiæ in periculis auxilium Dei.

Nulla domus, non vlla mihi iucundior vrbs est,
Quamuis ingentes accumularit opes.

Quam templi sunt tecta tui, pater optime rerum,
In quo doctrinæ vox sonat ipsa tuæ.

Hanc arcem toto venerabor pectore semper,
Qua non est animo charior vlla meo.

Ipsæ tuas aras festis ornabo coronis,
Atq; illas iusto semper honore colam.

Vtq; suis timidæ nidis gaudere volucres,
Quos sibi quæq; sua condidit arte, solent.

In quibus & possunt hostes contemnere tutæ,
Et pullos dulci mater amore fouet:

Sic nobis templum nidus gratissimus esse,
Et certum debet perfugium esse pijs.

Fœlix hac semper quicumq; habitabit in arce,
Audiat ut laudes, & canat ipse Dei.

Vera pijs patria est Ecclesia sola putanda,
Quae patriae debes officia, ista petit.
Non vis vlla animos vnquam diuellant ab ipsa,
Aeterno iunctam foedere semper ama.
Hanc omnes studio sociato orientq; iuuentq;
Hic honor, haec pietas, credite, grata Deo est.
Ac veluti volucrum nidos industria munit,
Sic nostra cura est ista tuenda domus.
Crudelis quicunq; ipsam lacerare parabit,
Impiaq; aduersum caeperit arma Deum.
Sed patriam hanc quisquis melior defendere certet,
Et rectam non vult destituisse viam.
Aerumnas feret ille graues, atq; aspera multa,
His non succumbet sed tamen ipse malis.
Ac riuos late deducit fonte perenni,
Extingui nunquam dogmata vera queunt.
Doctores Deus ipse regens caelestibus auget
Dotibus, & studium prouehit atq; iuuat.
Multaq; deletis victores hoste trophea
Ponent, vt fiat gloria nota Dei.
Exaudi gemitus nostros, pater optime rerum,
Aspicias templi quaeso pericla tui.
Conserua regni formamq; statumq; decorum,
Praefice concordem ipse piosq; duces.
Has ego delicias ardentibus expeto votis,
In templo semper degere posse Dei.
Et quamuis ibi erunt mibi multa adeunda pericla,
Namq; odijs vrget mundus vbiq; pios.

Attamen

*Attamen anteferam regnis, opibusq; malorum,
Huius militiae signa, decusq; pia.
Namq; sua dextra Deus istam protegit arcem,
Et ciues nunquam deseret ille suos.
Ecce qui voci caelesti obtemperat vni,
Nec patitur frangi pectora firma minis.*

III.

In Psalmos Dauidis.

*Si qua Dei puram tangit reuerentia mentem,
Et iusto Christi nomen honore colis.
Si quo res è fonte fluunt, quod & omnia numen,
Et regit, & seruat, cernere mente soles.
Hæc puer illius veneranda oracula disce,
Iessæ quondam quæ sonuere fides.
Illius vt Mosi per rupem gloria visa est.
Panditur hoc etiam Carmine, crede puer.*

Aliud in Psalmos.

*Saxa ferunt vatem traxisse Amphiona cantu,
Vt strueret Thebis mœnia prima suis,
Maius opus fieri Dauidis carmine constat,
Qui trahit ad summum pectora nostra Deum.
Nunc seruatoris narrat præconia Christi,
Quem canit æterno de genitore satum.
Nunc aptè gemitus, & verba precantia tradit,
Ad summum patrem, quæ tua vota vehant.*

Nunc iustas vitæ leges, pœnasq; malorum,
Et promissa canit præmia magna pijs.
Hæc igitur Cythara est ad tempora quælibet apta,
In mambusq; tibi semper habenda pijs.

III.

De lectione Psalmorum Dauidis.

Membra rudi è terra primorum quando parentum
Arcana finxit maximus arte pater.
Adflauitq; haustas proprio de pectore mentes,
Nos ad mirandum condidit autor opus.
Notitiam ipsius latè ut spargamus in orbem,
Ut laudent nomen terra polusq; Dei.
Alter honos tamen ad doctrinam accedere debet,
Assidua ut quæras voce parentis opem.
Utq; Deo semper tales reddamus honores,
Æternam vitam filius ipse dedit.
Hæc tibi Dauidis proponunt carmina vatis,
Ut laudes tribuas & pia vota Deo.

Aliud de Psalmis.

ESSE Deum æternam mentem, quæ cuncta creauit,
Mundi totius machina pulchra docet.
Plus tamen est sic nosse Deum, quod vota piorum
Audiat, & gemitus pondus habere sinat.

Id tibi

Id tibi promittunt hæc cælo oracula missa,
Iessæi vatis quæ sonuere fides.
Hinc igitur mæstis solatia firma petantur,
Hunc quærat portum mens tremefacta sibi.
Amphion cantu scopulos traxisse putatur,
Et potuisse Orpheus flectere voce feras,
Attamen hos longè Davidis carmina vincunt,
Quæ mentem è media ducere morte solent.

V.

Collatio de impositione manuum in de-
dicando Sacerdote, & dedican-
da Victima.

MOs vetus & prima deductus origine mundi,
Traditus & sancta relligione patrum.
Sacrifici manibus pecudis contingere frontem,
Hostia quæ pura est iam facienda Deo.
Norma sacerdotem similis cur dedicat ipsum,
Imposita cur sit sanctus & ipse manu?
Testatur ritus puram esse Deoq; dicatam,
Ante aras pecudem quæ ferienda cadet.
Sic inculpatum mos hic iubet esse ministrum,
Qui iam Doctoris munus obire volet,
Non aliquo sit mens polluta errore prophano,
Vitaq; ad exemplum crimine tota vacet,
Addictusq; Deo diuina oracula tradat,
Officij metas norit & ille sui.

B 5

Lege

Lege datos fasces alijs permittat habendos,
 Nec rector trepidi gestiat esse fori.
 Non vulgi frenos populari deditus auræ,
 Nec morum laxet vincula grata Deo.
 Nolit ad affectus regum cœcosq; furores
 Flectere ceu turpis iuraq; fasq; Gnato.
 Quiq; manum imponit rectoris nomine summi,
 Semper vt huic curet subditus esse iubet.
 Doctrinam moresq; regant cœlestia dicta,
 Et noua non ausit condere iura sibi.
 Heu quantam rerum molem, quæ pondera Doctor,
 Infirmis humeris ille gerenda subit?
 Seu cupidas Regum mentes frenare studebit,
 Seu populum ad mores vult reuocare bonos.
 Numina seu conficta dolo detrudet ab aris,
 Impia Pontificum diminuetq; lucra,
 Seu fictam Monachis personam detrahbet, atq;
 Asseret æterni dogmata vera Dei.
 Quas feret ærumnas furijs agitantibus hostes?
 Tollerè qui è medio tale catharma volent:
 Sic etiam Doctor sincerus victima fiet,
 Assidueq; litat sanguine & ipse suo.
 Ecce tenes causas, cur ritus dedicat idem,
 Et pecudem & mysten qui pia sacra facit.
 Ista Sacerdotis Christi verissima imago est,
 Muneris huic detur gloria prima sacri.
 Hic sine labe fuit, claraq; in luce parentem
 Et videt, & vero semper honore colit.

Huic

Huic Deus ipse manum imposuit, iussitq; docere
Arcana æterno dogmata prompta sinu.
Hunc pressere manus & iussa seuera parentis,
Supplicio vt lueret crimina nostra suo.
Hunc licet inferior, comitatur cætera turba,
Officij titulum cui dedit ipse sui.
Vult Euangelij custodes semper haberi,
Militiæ socios semper & esse suæ.
Cum mater vocat hos Ecclesia numine Christi,
Mandat & imposita munera sacra manu,
Admoniti discant istius imagine ritus,
Hic ordo quantum polliceatur opus.
Vt pecus ante aras quondam sacrata cadebat,
Tosta Deo vt fierent viscera suavis odor.
Victima sic etiam Christo fit quisq; Sacerdos,
Laudibus vt fragrent terra polusq; Dei.
Talis Abel tenerum purè maclauerat agnum,
Agnus at exitio mox datus ipse fuit.
Consilio patrias Esaias rexit habenas,
Et trepidis portus ciuibus ille fuit.
Depulit Assyrium Solymis à mœnibus hostem,
Victori ponens clara trophæa Deo.
Iamq; senex centum vitæ confecerat annos,
Cum serra scissus victima & ipse fuit.
Nemo potest memorare omnes, spectabimus omnes,
Cum Deus induerit corpore quemq; nouo.
Talia sed quædam prodesse exempla tenere,
Non Baptista igitur prætereundus erit.

Hic

Hic Euangelium monstrato tradidit agno,
Placatum nobis qui facit esse Deum.
Et Phariseorum taxans deliria, ritus
Fucosos vetuit pro pietate sequi.
Iustificamq; fidem docuit Iordanis ad vndam,
Et rupes gnatum iam sonuere Dei.
Sordibus humanis Lex obscurata iacebat,
Huic etiam lucem reddidit ille suam.
Congrua descripsit ciuilibus muneribus vitæ,
Iuraq; militibus iudicibusq; dedit.
Atq; fidem iussit lucere in rebus agendis,
Notior vt fieret gloria vera Dei.
Coniugij sancit legem, damnatq; Thyesten,
Vxorem fratris, qui rapere ausus erat.
Quare Baptistam crudelis adultera perdit,
Qui moriens veluti victima cæsa iacet.
Notitia Christi Stephanus non sanguine Tauri
Restitui vitæ dona perennis ait.
Concio Pontifices ingrata accendit auaros,
In caput vt iacerent aspera saxa viri.
Vtq; alios multos fileam, fit victima Paulus,
Eo Christi nomen ab orbe gerens.
Et dum sex lustris terraq; mariq; vagatur,
Ac Euangelium spargit vbiq; Dei.
Et negat extingui mentem diuinitus ortam,
Corporis è vinculis quando soluta fugit.
Proponensq; malis pœnas & præmia iustis
Arbitrio verò distribuenda Dei.

Iustiti-

Iustitiam monstrat, quam Christi propter honorem,
Æternus nobis dat pater atq; probat.
Interea pugnae, pugnisq; pericula iuncta,
Tam longo exercent tempore mille virum.
Dum tandem ferienda dedit sua colla Neroni,
Et iacuit tanquam vile cadauer humi.
Nostra etiam vidit quanquam infœlicior ætas,
Qui vitæ Christum præposuere suæ.
Hic vbi diuiso Batauorum est insula Rheno,
Suduaniam in ripa dure Sicamber habes.
Hæc tulit Henricum ciuem, quem vidimus ipsi,
Florentem studijs, ingenijq; bonis.
Hic toto Christi spirabat pectore amorem,
Cui studuit vera reddere vota fide.
Eximiaq; suos mores pietate regebat,
Virtutum exemplum posset vt inde capi.
Quicquid id est, quod de natura Græcia scripsit,
Artibus ex cultus norat & ille bonis.
Quas teneat metas dum totum perficit annum,
Aureus obliquo Phœbus in orbe means.
Longius à terra cum summo tardus in axe
Voluitur, arentes cur premit æstus agros?
Cur quoties imo velocior ibit in axe,
Et propior terræ frigida Bruma venit?
Hæc ita contemplans autorem agnoscere iussit,
Et pura grates dicere mente Deo.
Hæc ait ostendunt nobis illustria signa
Æterna mundum non sine mente regi.

Alteræ

Altera sed potior fuit illi cura tenere,
Extant quæ nobis tradita voce Dei.
Hoc Doctore iterum Bremensi inclaruit vrbi,
Vnius Christi munere parta salus.
At quia diuinis statuis detraxit honores,
Exitium Monachi qualibet arte struunt.
His furijs mitra ornatus dedit arma Tyrannus,
Qui tandem oppressum non procul vrbe necas.
Hæc cur tam subito orbata est Ecclesia tali
Lumine, quo posthac debuit illa frui.
O dilecte mihi ante alios Henrice, laboris
Nunc partem nostri te tolerare velim.
Talia præconum quamuis sunt fata piorum,
Membra iacent sæuis & lacerata modis.
Non periére tamen sed habent commercia læti
Cum Christo, viuis agminibusq; patrum.
Huius, cum stanti tibi frons tangetur ad aram,
Te fieri socium noueris ipse chori.
Pontificemq; scias tibi Christum imponere dextram,
Poscenti vires, & dare velle nouas.
Proh quanto à falsis mystæ discrimine veri
Distant, hoc etiam nos meminisse decet.
Nemo potest vnquam censeri iure Sacerdos,
Contra Euangelium qui fera bella gerit.
Quiq; furens audet noua fingere Numina, quiq;
Sacra facit nulla tradita voce Dei.
Tales sacrifici celebrabant orgia Baccho,
Errans cum Thyrsis ebria turba suis.

Et salij Martis tales ignota sonabant
Carmina, cum gererent scuta vetusta
Sacrificos similes creat & nunc Roma prophana,
Qui propter ventrem numina falsa colunt.
Hos fuge, & à veris Christi discerne ministris,
Purè Euangelij qui pia iussa docent.
Deniq; vota pij faciant, summumq; parentem
Assiduis precibus quod iubet ipse rogent.
Ut populum per quem vero celebretur honore,
Augeat & semper protegat atq; regat.
Fœlicesq; duces addat, doctosq; ministros,
Larga Euangelij messis ut esse queat.
Arceat & Christi grassantem dextra Draconem,
Ne ferus humanum deuoret omne genus.
Seruet opus pater æternus quod condidit, atq;
Notitiam extingui non sinat ipse sui.

VI.

In concionem Leporum ad Leones,
cuius fit mentio apud Ari-
stotelem 3. πολιτικῶν.

Cum veluti lepores dare iura Leonibus audent,
Hi, sacra, qui populum verba, fidemq; docent.
Conanturq; truces sine vi frenare Tyrannos,
Contempti pœnas pro pietate ferunt.

Edi-

VII.

Edictum nomine Rectoris Academiae
propositum Scholasticis, ut munu-
scula sua ad aram offerant.

MENS aeterna Deus, verax, bona, libera, iusta,
Casta, volens similes nos etiam esse tibi.
Vindicibus flammis tibi quae contraria deles,
Iustitiae nam tu regula sola manes.
Corpora quae mundi verbo distincta creasti,
Exemplar quod vis ordinis esse boni.
Quodque tua effigies est & de lumine lumen,
Quod tribuit nobis notitiamque tui.
Et fragili indutum pro nobis victima carne,
Iustitiae soluit debita λύτῃα tuae.
Perpetuam & vitam fracta ceruice Draconis,
Restituit nobis agnitione sui.
Quoque tui spargit flammis in pectora flatus,
Pura Euangelij voce sonante tui.
Talia ut in nobis sint casti incendia cordis,
Optimus est qualis Spiritus ipse Dei.
Te precor omnipotens mundi que hominumque creator,
Voce tua nobis & patefacte Deus.
Quamuis iusta, tamen nobis tua parcat ut ira,
Quam Gnati placant vota cruorque tui.
Perque ipsum semper nos inter collige caetum,
In quo sit veri gloria nota Dei.

Hic

Hic soli iustitiæ, nos vt tua simus imago
Nostra sibi adsimulet pectora luce sua.
Nosq; tuo flatu moueatq; regatq; petentes,
Vrat hic vt mentes ignis amore Dei.
Hæc omnes mecum faciant ardentia vota,
Seq; petant inter cuncta pericla regi.
Gratia sed quoniam debetur iusta docenti,
Qui rectè monstrat munera summa Dei.
Erga pastores vt sit reuerentia nota,
Prosit & exemplo nos monuisse rudes.
Quisq; manu casta castas adportet ad aras,
Vt decet officij debita signa pij.

VIII.

DE ENCAENIIS CELE-
bratis Ierosolymæ mense nono, propter
memoriam repurgati Templi, tempore
Iudæ Maccabæi, carmen scriptum anno
à natali CHRISTI 1557, qui erat ab
eo anno, quo Idolum ex templo eiectum
est, Millesimus, septingentesimus vicesi-
mus quartus.

Ad inclytum Dominum Ludouicum
Comitem ab Eberstein & Do-
minum in Neugarten, &c.

C

Hoc

HOc Encænia leta mense nono
In pulchris Solymis agi quotannis
Mos est traditus, ut memor triumphis
Esset posteritas, phalange cæsa
Quo ὁ δὲ λύγματος dira Macabæus
Delens, restituit pios honores,
Quos verus Deus vnicus creator
Humani generis. docet, probatq;
Qui se voce sua, datoq; gnato,
Ostendit, vetuitq; lege, fingi
Cultus esse alios Dei, Deosq;
Huic vero Solymi Deo potenti
Hoc pro munere gratias agebant.
Hunc verum esse Deum Sione tota,
Hunc seruare suos piè canebant,
Orabantq; suam regi Siona.
Nos Encænia nostra cum vetustis
Grati nunc celebremus, atq; nobis
Luce Euangelij recens reducta
Ex templis simulachra mentibusq;
Pellentes, reuerenter inuocemus,
Æternumq; Deum, Deiq; gnatum,
Et quos voce sua docet, probatq;
Constanter tribuamus ipsi honores,
Custodemq; sui sciamus esse
Cætus hunc Dominum λόγον parentis
Æterni, ἁγίου sibi cruentum
Qui circumdedit, esset ut redemptor

HumA-

Humani generis, potensq; Siloh.
Hunc vt protegat & Siona nostram
Votis assiduis precamur omnes.

IX.

De festo Elisabethæ ad Io. Pistorium pa-
storem Nidanum, die Elisabethæ,
Vuormatiæ scriptum
1557.

GRati munera summa Conditoris
Narremus, sibi colligit quòd agmen,
In quo fulgeat ipse, sempiternum,
Plenum iustitiæq; gaudioq;.
Huius agminis est Elisabetha
Consort, quæ tenuit vetusta sceptrum
Oræ Tyrigetum, fuitq; mater
Stirpis inclyta principum tuorum,
Qui fuldæ dominantur & Visurgi.
Semen seruat enim Deus piorum,
Hanc cum nunc celebres Elisabetham,
Ad nos aduenias Nidane pastor,
Matronæ vt pia facta proferamus,
Vt tali pietate nos colamus
Æternumq; Deum, Deiq; gnatum,
Ac motus animi leues domemus.
Multum exempla pios iuuare possunt.
Quanto robore pertulit dolores,

Extincto pariter viro atq; gnato,
Ac pulsa ex patria viri atq; gnati,
Ostendens mala perferenda sanctis
Esse ingentia, vt inuocare discant
Mirandum auxilium Deum ferentem,
Præsentemq; suis adesse cernant.
Sic cur nostra onerata mole tanta
Sit natura, sciamus atq; iusto
Sit subiecta Deo, simulq; propter
Gnati vulnera nos opem petamus,
Hoc exempla monent Elisabethæ.

X.

De natali die Lutheri ad Iacobum Run-
gium Theologum VVorma-
tiæ, anno 1557.

Natalis redit annuus Lutheri,
Hoc in mense vetus tenente nomen
Orionis, eò quod hic in vndas
Nunc manè insilit, hostis vt venena
Vitet cuspide Scorpij minantis
Aduersa regione cœli in ortu,
Et nymbos ciet horridosq; ventos.
Vt verò senior docens Orion
De stellis populos simul monebat,
Quis nam lumina fecerit, viasq;

Et

Et motus regat arte sempiterna,
Sæpè addens, Deus ille fecit idem
Humanum genus, è suaq; luce
Infudit radios, suasq; leges,
Quas seruare iubet coliq; semper,
Pœnisq; opprimit impios furores.

Sic & de sapiente conditore
De Christoq; λόγῳ Dei parentis
Monstraret meliora cum Lutherus,
Hostes huic quoq; Scorpij fuerunt,
Sed textit Deus vtilem ministrum.
Idem nos faciat Deus ministros
Gratos, & simul vt tegat precemur.
Natali celebrentur ista luce
Dona ingentia, gratiaq; agantur
Æternoq; patri, patrisq; gnato.
Et nobis eadem dari petamus.

XI.

De morte Reuerendi viri D. Doctos ris Martini Lutheri.

OCCidit omnigena venerandus laude Lutherus,
Qui Christum docuit non dubitante fide.
Ereptum deslet verò hunc Ecclesia luctu
Cuius erat Doct̃or, verius imò pater.
Occidit Israel præstans auriga Lutherus,
Quem mecum sanus lugeat omnis homo.

*Nunc luctumq; suum lachrymoso carmine prodar
Hoc etenim orbatos, flere, dolere, decet.*

**Epitaphium Doctoris Mar-
tini Lutheri.**

*πολλὰ ἀγαθὰ ποιῶν, πολλὰ εὐσεβεῖατε διδάσ-
λότης, τὴν μὲν σῶμα δέδωκε ἔορ. (κωμ
*Qui Christum docuit purè, & bona plurima fecit,
Lutheri hac vrna molliter ossa cubant.**

XII.

**In imaginem Reuerendi viri Docto-
ris Iohannis Bugenhagij,
Pomerani.**

Coniugis vt senio confecti corpus aquatum
Ipsa suis humeris Halcyo grata gerit:
Sic benè promeritum Doctorem Ecclesia curet,
Et leuet ætatis pondera dura seni.
Sic tua canities Doct̃or Pomerane, fidesq;
Sincera est cunctis iam veneranda pijs.
Qui procul externis sparsisti fidus in oris
Pura Euangelij semina voce tua.
Ac ceu Baptistes Agnum monstrare solebat,
Æterno Christum de genitore satum.
Tu quoq; iustifica docuisti agnoscere Christum,
Æterniq; patris sumere dona, fide.

Ficti

Fictiliumq; alias formas tua lingua Deorum

Euertit, Papæ quas voluere coli.

Et velut in scopulis celsos locat Halcyo nidos,

Hyberni circum quos fremit vnda maris:

Sic medio in Pelago fœlix iam Dania nidos.

Extruxit Christo, te fabricante, pios.

Te Deus hos inter texit iuuitq; labores,

Nunc vita functus viuis in arce poli.

XIII.

In imaginem Reuerendi viri Iohannis
Æpini Doctoris Theologiæ.

HÆc est Æpini Doctoris imago Iohannis,
Qui docuit castè dogmata pura Dei.

Saxonicoq; pios cœtus in littore rexit,

Fulsit & exemplis integra vita bonis.

Vrbis vbi Hamburgæ stant ardua mœnia claræ,

Massylia veteris quæ decus omne tenet.

Et superat meliore bono, quod præbet honestum

Et fidum hospitium maxime Christe tibi.

Inde etiam Æpinus vigilans & pectore firmo,

Errorum fucos depulit atq; dolos.

Ergò Deo grates tanto pro munere dico,

Vtq; regat semper pectora nostra peto.

Et faciat semper nos vnum vt simus in ipso,

Æterni gnatus quod petit ipse patris.

XIIII.

Carmen quo solent pueruli ad studium
literarum in scholam reuocari, die
Gregorij, circa æquinocti-
um Vernum.

Vos ad se pueri primis inuit at ab annis,
Atq; sua Christus voce venire iubet.
Præmiaq; ostendit vobis venientibus ampla,
Sic vos ô pueri curat amatq; Deus.
Vos igitur læti properate occurrere Christo,
Prima sit hæc Christum noscere cura ducem.
Sed tamen vt Dominum possis agnoscere Christum,
Ingenuas artes discito parue puer.
Hoc illi gratum officium est, hoc gaudet honore,
Infantum fieri notior ore cupit.
Quare nobiscum studium ad commune venite,
Ad Christum monstrat nam Schola nostra viam.

XV.

Locus Platonis VII de Republica, qui
est commendatio Dialecticæ.

Sermonis certas tradit Dialectica leges.
Quaq; via possis prendere vera docet.
Ac velut in cœnum incautus si forte viator
Labitur, atq; vdo polluit ora fumo.

Surgit

*Surgit & immundis sordes detergit ocellis,
Abluit & turpi squalida membra luto.
Sic hebetes oculos acuit Dialectica mentis,
Lynceus vt videas Lumina vera puer.*

XVI.

*Proœmium Depositoris Vuitebergen-
sis vt vocant in ritu initiationis no-
uorum Scholasticorum.*

*S*aluate Spectatores humanissimi,
Quibus est vetusti causa ritus cognita,
Et quos honesta ratio mouit officij
Vt huc accederetis, non ineptias
Vt hasce nostras cerneretis. Sed quia
Vos iuniorum studia decet cognoscere,
Quorum exploratio fit in his spectaculis:
Moremq; fuisse Athenis similem legimus,
Qui nominatur græca voce ἐρεοχελειν,
Nouosq; multa mœnetis hic Scholasticos,
Et vota pro discipulis facitis pia.
Quod ergo adestis hic debetur gratia
Vobis, & vt patienter hos breues iocos
Nunc audiatis, peto, non Momi scommata,
Non adfero conuicia huc scurrilia,
CEV MVLTA DICVNT INTER SE THE-
Sed gnate Dei te Christe toto pectore (OLOGL.
Oramus, vt nos spiritu regas tuo,

C S

Vitisq;

*Vitisq; cum sis, palmites fac nos tuos :
Idem pijs votis mecum precemini.*

IIII. PRÆCEPTVM.

*Honora patrem & matrem tuam, vt
sis longæuus super terram.*

Virtutes quarti Præcepti, quæ ab
hominibus, siue præsent, siue parent, su-
perioribus & inferioribus, pariter flagis-
tantur.

- I. Pietas seu *Ειλοσοφία*.
- II. Iusticia vniuersalis.
- III. Iustitia distributiua.
- IIII. Sedulitas.
- V. Gratitude.
- VI. Reuerentia.
- VII. Grauitas.
- VIII. Modestia, & vicina appeti-
tio gloriæ.

I.

De Absolone filio Daudidis.

D*Egener immeritò rapuisti scepra parenti,
O iuuenis patriæ pestis acerba tuæ.*

Digna

Digna tuis factis sed pœna secuta vagantem

Fronibus arboreis implicuere comæ.

Hasta Ioab maduit forti vibrata Lacerto,

Sanguine transfixo pectore tincta tuo.

Has scelerum pœnas pulso dedit ille parente,

I nunc & patrijs insidiare bonis.

Quia verò sub quarto præcepto comprehenduntur & Magistratus, qui honorandi sunt, vt patres patriæ. Addam aliquot versus.

II.

In imaginem Iustiniani.

D*Extra tenet gladium, seruat manus altera libram*

Signa decent reges scilicet illa bonos.

Illam quidem intentat sceleratis ciuibus arma,

Et terret stricto dextra mucrone malos.

Expendit iusto prius hæc examine causas,

Quam nudata sinat colla ferire rei.

III.

In imaginem Illustrissimi Principis ac

Domini, Domini Georgij, princi-

pis in Anhalt & Ascania, &c.

A*scaniæ stirpis virtus est clara triumphis,*

Ordine quos numerant secula longa patrum,

Cæsar

*Cæsar in Adriaco cum gessit littore bellum,
Et fregit venetas Maxmilianus opes.
Dux erat Ascania natus de stirpe Rodolphus,
Fixit & in veneto multa trophæa solo.
Nunc ad maiorum decora hæc laus magna Georgi,
Accedit veri principe digna viro.
Quod sic doctrinam reliquis virtutibus addis,
Ut verum celebres pectore & ore Deum.
Et Christi illustres ingentia munera scriptis,
Iustifica supplex quæ capis ipse fide.
Exemploq; Esdræ populum dum iure gubernas,
Doctrinæ spargis semina pura simul.
Summe Deus, solus qui das fœlicia regna,
Ascanios fratres, te precor, ipse regas.*

III.

EPITAPHIUM, scriptum Illu-
strissimo Principi & D. Domino Ge-
org. Prin. Anhaltino, Comiti Ascan:
&c. Præposito Magdeburgensi
& Misnensi piè placideq;
vita defuncto.

PRincipis Ascania nati de stirpe Georgi,
Quem cernis tumulus proximus ossa tegit,
Huic fuit Ernestus genitor, qui pacis amore
Promeruit patriæ totius esse pater.

Matris

Matris erat castæ Monſterbergensis origo,
Sincera coluit quæ pietate Deum.
Ascaniæ gentis virtus eſt clara triumphis,
Ordine quos numerant ſecula longa patrum.
Sed fuit huic fontes doctrinæ diſcere cura,
Quam nobis gnatus tradidit ipſe Dei.
Hoc ad maiorum decus addidit inclyta facta,
Præbuit & patriæ commoda magna ſuæ.
Eſdras ceu quondam populo ius dixit, & idem
Interpres Solyma legis in vrbe fuit.
Principis hic munus ſimul & paſtoris obiuit,
Ipſius mentem rexit & ora Deus.
Iuſtificaq; fide capiens tua munera Chriſte,
Solius eſt cuius parta cruore ſalus.
Vera luce Deum agnouit precibusq; vocauit,
Numinibus fictis mens inimica fuit.
Nec virtutum umbras habuit, ſed pectora rexit
Ipſe Dei viuens aſſimilata λόγῳ.
Vrbibus in multis flauis quas alluit Albiſ,
Et quas cærulei præterit vnda Salæ.
Agmina collegit Chriſtum celebrantia, ſpargens
Pura Euangelij ſemina voce ſua.
Fidus & ætati venienti teſtis vt eſſet,
De Chriſto patriæ publica ſcripta dedit.
Hic frater lachrymans Ioachimus condidit oſſa,
Viuit conſpectu mens fruiturq; Dei.
O Deus Ascaniam ſtirpem ſerueſq; regasq;
Nulla venit nobis te niſi dante ſalus.

V.

In imaginem Illustrissimi Principis
Mauricij Ducis Saxoniae Electo-
ris, Landgrauj Thuringiae.

OMnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu quae valere ruunt.

Ut perit in primo Pelides flore iuuentae,
Pyrrhus & hoc ipso de genitore satus.

Ac Asiae domitor Macedum de stirpe creatus,
Et qui Burgundas Carolus auxit opes:

Sic iam Mauricium nimium properantia fata
Saxoniae terris eripere ducem.

Qui Gallos Turcosq; feros virtute repressit,
Militiae praestans artibus atq; togae,

Hic modo tum patriam iustis defenderet armis,
Fudissetq; hostes auxiliante Deo.

Fraude globus missus victorem vulnerat, inde
Post pugnam vitae non mora longa fuit.

Commendans animam sed Christo, exordia vitae
Hausit caelestis non dubitante fide.

Est fragilis natura hominum, sed reddere vitae
Gaudia vult Christus non moritura pijs.

VI.

Iambica ex Antigone Sophoclis,

Non pectus ullius potest introspecti,
Vrbis Magistratus priusquam gesserit,



Ego, si quis in graui periculo ciuium,
Verè salutarem sciens sententiam,
Eam timore victus occultat tamen,
Hunc iudico ciuem esse malum ac inutilem,
Et si quis antefert saluti patriæ,
Priuati amici gratiam atq; munera.
Hic omnium est mortalium iniustissimus.
Ergo Deum testem inuoco, si patriæ
Discrimen impendere videro meæ,
Me voce dicturum atq; mente libera
Sententiam, verissima quæ videbitur,
Nec vllus hostis ciuitatis publicus,
Priuatim amicus esse ducetur mihi.
Sed nauis hæc quæ seruet omnes vnica
Sit ciuitas, qua cum vehemur integra,
In ipsa amicos quærere florente liceat.

VII.

In historias Regum.

Hanc speculum vitæ ducas morumq; magistram,
Quæ libris istis traditur, historiam.

Præmia iustorum monstrat, pœnasq; nocentum,

Et præsens regnis numen adesse Dei.

Et dubiam vitæ sortem, ac incerta pericla,

Non tantum humana calliditate regi.

Sed custode Deo casus superabimus omnes,

Placatum pietas si modo nostra facit.

Et qui-



Et quibus officijs possit flectiq³, coliq³,
Hic exempla liber iusta sequenda dabit.
Sit licet vtilitas res gestas nosse prophanas,
Vtilior tamen est perlegere ista labor.

VIII.

Solonis Elegia citata à Demosthene, de
causis quæ adferunt exitium regnis,
& magnis ciuitatibus, conuersa
à Philip: Melanth.

Non urbem superi cupiunt euertere nostram,
Et nobis, nisi sint numina læsa, fauent.
Ac nostræ custos arcis Tritonia Pallas,
Perpetua cura mœnia nostra tegit.
Ipsi sed patriam sceleratis mentibus vltro,
Conantur ciues dilacerare suam.
Nam precio quidam vendunt legesq³, fidemq³,
Aurum qui nullo iure modoq³ petunt.
Sæuitiam exercent rapiuntq³, Tyrannida quidam,
Induat vt iustus ciuibus arma dolor.
Pars studet & sancire domestica damna rapinis,
Exhausit patrias cum malè luxus opes.
Diripiuntq³, vrbis patrimonia publica nostræ,
Et sibi diuitias viq³, doloq³, parant.
Et non iustitiæ formidant numen & iram,
Consilijs superum quæ Dea semper adest.

Heu

Hæc oculis cernit vigilantibus omnia facta,
Nemo putet falli numina posse Deum,
Et pœnas quamuis differt aliquando tacetq̄,
Mente tamen memori facta, nefanda notat.
Exigit & tandem pœnas, non regna, nec vrbes
Effugiunt clades, quas meruere, graues.
Hinc vrbs diuitijs quondam imperioq̄, superba,
Seruitij patitur tristia iura modò.
Aut rabidi ciues in mutua vulnera stringunt
Exorta gladios seditione suos.
Aut validos hostes sine causa fortè laccessunt,
Sopitumq̄ mouent quod fuit ante malum.
Namq̄, vrbs, quæ socios iniustis prouocat armis,
Mox ruet, & subitis est peritura modis.
Casibus his validæ gentes delentur & vrbes,
Pro spreta pœnas quæ pietate luunt.
Etsi qui excidio patriæ fortasse supersunt.
Posthac fata illos non leuiora manent.
Extorres, sine spe, sine sede, inopesq̄, vagantur,
Aut emti precio vincula dura gerunt.
Sic partem fert quisq̄, suam cum publica clades
Incidit, & prohibet ianua nulla malum.
Non latebræ quenquam fugientem abscondere possunt,
In thalamos penetrant publica damna tuos.
Hæc moneo ciues, nec fabula ficta putanda est.
Leges atq̄, Deum spernere, crede, nocet.
Sed placidam retinet pacem reuerentia iuris,
Peccanti quæ non parcere lenta solet.

D

Hæc

Hæc prohibet turpem luxum, frenatq; rebelles,
Crescere nec patitur semina sparsa mali.
Iudicis emendat fraudes, violentaq; facta,
Nasci inter ciues dissidiumq; vetat.
Deniq; vita hominum tranquilla & honesta manebit,
Seruandi leges cum pia cura manet.

IX.

Ad studiosam iuuentutem.

Si decus Ausoniae linguae retinere studetis
Si cupitis rectè verba latina loqui,
Cura sit à teneris vatum cognoscere scripta,
Eloquij fontes hos sciat esse puer.
Horum pectoribus motus Deus indidit acres,
Sublimemq; dedit Musa canora sonum.
Verum non satis est legisse poemata tantum,
Accedat studijs altera cura tuis.
Ut doctis digitis exempla effingere certes,
Cogere & in numeros verba soluta nouos.
Hic labor ingenij vires acuitq; fouetq;
Hinc venit eloquij copia, forma, nitor.
Hoc si languescet studium, si ignara iuuentus,
Non perferre volet tædia longa styli.
Hei mihi quæ clades reliquas iterum obruet artes &
Barbaries tenebras inuehet atra nouas.
Ad vates igitur docilis reuocanda iuuentus,
Hinc sibi sermonis lumina clara trahat.

Es

Et quanquam oblectent numeriq; soniq; legentem,
 Rerum animos grauitas plus tamen ipsa capit.
 Naturam rerum totam pinxere Poëtae,
 Et morum quæ sit norma sequenda docent.
 Hi monstrauerunt cæli fastigia primum,
 Non mergenda mari quæ Cynosura notas.
 Ut teneant metas errantia sydera certas,
 Signifero Phœbi quæ sit in orbe via.
 Tardior æstiuo cur Phœbus in axe uehatur,
 Cum superant noctis tempora longa dies.
 Brumaq; cur noctes extendat frigida, quando
 Ima tenet celeres orbita solis equos?
 Lumine cur careat cum Soli proxima Luna est.
 Et medio fratrem cur tegat ipsa die.
 Ut Lunam inuoluat tellus ingentibus umbris,
 Et vetet opposito lumine posse frui.
 Quasq; vices seruent orientia sydera cælo,
 Et quo discedant ordine mersa mari.
 Quæ stellæ diros moueant, vrantq; Cometæ,
 Ac flammis istis suppetat vnde vapor.
 Nec causas recitant tantum, sed fata Poëtae
 Describunt, fieri nec temerè ista monent.
 Esse Deum rerum autorem testantur, & istum
 Mentibus humanis hæc dare signa ferunt.
 Cui non res libeat studiosè inquirere tantas?
 Dura nisi cui mens est Adamante magis.
 Has complectuntur vatum monumenta bonorum,
 Quantum ipsas homini cernere posse datur.

Ergo dexteritas, & docti cura Mycilli,
Ad Musas lector cum tibi monstret iter:
Hoc duce Parnassi celsas ascendito rupes,
Et tua doctrinae fontibus ora riga.

V. PRÆCEPTVM.

Non occides.

Virtutes huius præcepti sunt:

- I. Iustitia particularis.
- II. Iustitia distributiua poenarū.
- III. Fortitudo bellica.
- IIII. Fortitudo Togata.
- V. Patientia Philosophica.
- VI. Mansuetudo, Misericordia,
ἑπιείκεια, placabilitas, &c.
- VII. Studium concordiaē.
- VIII. Amicitia.
- IX. Fidelitas.
- X. Candor.
- XI. Humanitas.
- XII. Zelus.

Psalmus

I.

Psalms CXXXIII. Ecce quam bonum
& quam iucundum, &c.

Exiguus addit vires concordia rebus,
Et cumulat modicas atq; tuetur opes.
Utq; senis celso manantia vertice Aronis,
Infirmos artus Balsama larga rigant.
Siue satis ut vita redit, dum Sirius agros
Torret, si gelido rore madescit humus.
Sic ubi sunt æquo sociatæ fœdere mentes,
Fidaq; communis pectora iunxit amor.
Virtutem Deus aspirat, placidoq; favore
Prouehet, & vitæ cuncta pericla regit.

II.

Homerus libro 9. Iliados. Vbi Vlysses
recenset mandatum Pelei patris, quo
Achillem ad comitatem
adhortatus est.

Cum pater ex Phthia comitem te misit Atridæ
Quæ dederit mandata tibi supremamemento.
Æacidæ, lachrymans cum multa monetq; rogatq;
Incertam belli fortunam gnate Deorum
Committe arbitrio, & fati, victoria læta
Continget, superi si vestra incepta secudent,

D 3

Sed

*Sed iuuenilem animum frenare & vincere cura
Sit tua, crede mihi, placido est nil pectore mains,
Atq; iram furiale malum compeſce, meretur
Hæc virtus iuxtà iuuenumq; ſenumq; fauorem.*

III.

*Hector apud Homerum Iliados I 5 ad-
hortatur Troianos, vt pro pa-
tria dimicent.*

*CONFERTI naues animis ingentibus inter
Quisq; suo pugnate loco, nec vulnere quisquam,
Seu mortis fugiat pavidus formidine victus,
Sed iaceat, si quem fati sors dura peremit,
Pro patria magnum decus est profundere vitam.
Nam reliqui ciues nostra virtute teguntur,
Et saluæ interea matres natiq; manebunt,
Qui sunt ætatis venturæ semina, & vrbis.
Templa manent legesq; bonæ, pietasq; pudorq;
Et tunc quisq; suis rebus, fundisq; fruetur,
Cum pulsi fugient hostes in patria regna.*

IIII.

*De ciuica corona quibus dari so-
lita, ex Aeschine.*

*HIS grati ciues donarunt ferre coronas,
Pro rebus gestis præmia iusta suis.*

Qui

Qui libertatem pulsus ex vrbe Tyrannis,
Et leges patriæ restituere suæ.

V.

In Βατραχομουμαχίᾳ Homeri.

MVS brevis & saliens in gurgite Rana palustri,
Dum nulla causa & prælia stulta cient.
Fulmineo pugnas Iouis ira fragore diremit,
Et tandem fugiens agmen vtrumq; perit.
Sic modò dira serunt ex bellis bella Tyranni,
Nec res, sed cæcos armat vtrinq; furor.
Pestiferiq; magis Thebana Sphinge Sophistæ,
Verba venenato friuola felle linunt.
Aspicit hæc vindex oculis Deus omnia iustus,
Nec graue cum sparget fulmen, inermis erit.
Gnate Dei bonitate tua mala tanta leuato,
Et cætus serues Christe regasq; pios.

Distichon.

Iusta Dei fontes affligit vindicis ira
Ne dubita, veniet tempore pœna breui.

VI.

In interpretationem orationis
Aeschinis,

Vobis rursus hodie in scholam feremus
Iustam Rhetoris Attici querelam,

Hostis qua iugulum sui caputq;
Iratu petit, atq; pestilentes
Obiurgat rabulas, furentem ad arma
Qui ciuilia mutuasq; cedes
Accendunt populum, sibiq; regna
Pergunt impia fraude machinari,
Et leges temerarij refigunt,
Vallum scilicet vnicumq; murum
Pacis, qua meliusue gratiusue
Dij mortalibus haud dedere quicquam.
Hæc audire iuuabit vniuersos,
Qui virtutis amant decusq; colunt,

VII.

De ingratitude hominum.

Sunt homines humeris quos si quis gestet ad urbem
Ausoniam, domiti quæ caput orbis erat.
Nec tamen ad portam placidè deponat eosdem,
Gratia præteriti nulla laboris erit.

VIII.

De duabus thecis Simonidis.

Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benignè est,
Debita pro meritis gratia nulla reedit.
Simonides binas ponebat in ædibus arcas,
Ledeis charus fratribus ille senex.

Hanc,

Hanc, vnde officium facilis promebat egenti,
Et tempestiua fortè iuuabat ope.
Quam, postquam multa effudit, noua copia rerum
Accumulata diu non vacuam esse sinit.
Altera facta fuit si gratia fortè rediret,
Munera quæ grati conderet arca viri.
Sed nihil huc quisquam intulit, arcaq; semper inanis,
Officia, inditio, cuncta perire fuit.
Simonides Thecam monstrabat vtramq;, laborem
Æraûe si peteret mutua ferre aliquis.
Et testatus opes se plena effundere Theca,
Pro meritis monuit præmia nulla dari.

VI. PRÆCEPTVM.

Non mœchaberis.

Virtutes sunt :

- I. Castitas seu pudicitia.
- II. Coniugalis castitas.
- III. Verecundia seu pudor.
- IIII. Temperantia.

I.

Deus est casta mens.

Castus Deus mens est, vult casta mente vocari,
Et castas pondus iussit habere preces.

D S

Ephe-

II.

Ephesios 5. Myſterium hoc
magnum eſt.

PEctus vt in Sponſo flammarum incendia ſentit,
Qui vero Sponſæ flagrat amore ſuæ.
Naturæ ſociam vero ſic diliget igne,
Filius æterno de genitore ſatus.
Induit humano quam fœdere, quo ſibi noſtrum,
Fraterno pariter iunxit amore genus.
Iura thori Deus exemplum cum fœderis huius
Eſſe velit, caſtè præcipit ipſa coli.

III.

Accipe clante DEO ſibi Gratulatio Coniugij.
quæ nunc iungitur vxor
Pax ſit vbiq; Inq; Deo ſit mens vna ſit vnus amor.
Secula longa pig.

IIII.

In Iohannis Scrammij nu-
ptijs Precatio.

TE Deus vt caſtam mentem nos eſſe ſciamus,
Condemnat flammæ lex tua ſancta vagas.
Coniugij ſancis ſanctiſſima fœdera caſti,
Idq; tuum patrio more tueris opus.
Non vis obſcœnæ regnare libidinis æſtus,
Vt Eccleſiolam quamlibet eſſe domum.

Omnis

Omnibus hoc toto decretum gentibus orbe.
Declaras pœnas tristibus esse ratum.
Quis neget at fœdus tibi connubiale probari.
Quod videt auxilio non nisi stare tuo?
Fœlices, memoresq; Dei, propriæq; salutis,
Qui thalami legem coniugialis amant.
His etiam nostris faueas pater optime sponsis,
Quem suadet pietas, da bona fata thoro.
Castus ut es, casto sic sis Deus æquus amori,
Fac tua sint sponsis gaudia firma nouis.
Iesu noster amor votis ardentibus oro:
Sint curæ thalami iura salusq; tibi.
Ut monitis, quali simus tibi fœdere iuncti,
Coniugibus sit mens vna sit vnus amor.

V.

De pudicitia, ex Bacchylide.

VT cum de statua facies formosa remota est.
Non decus in reliquo corpore truncus habet.
Sic reliqui mores spreti sine honore iacebunt,
Ni sint ornatilaudè pudicitia.

VI.

Ex Oppiano de venatione
Pardorum.

Retia nigrantes latè cingentia saltus
Acer odoratis venator tendere Pardis.

Extimet,

Extimet, & stricte propius contingere ferro.
Tam tristes iras violento in corpore versant,
Infracti ut telis concurrere fortibus ausint.
Sæpè etiam superant non æquis viribus hostem,
Dum vafer extremis sese concredidit armis,
Et nimis insano venabula perdidit ictu.
Ergo dolo tantum celeres vincuntur, & antè
Insidijs frenandus erit, qui robore vinci
Nesciat, & vires quem debellare ferocem
Non aliæ possunt prudens solertia frangit.
Mirandum Pardis vini fragrantis amorem
Esse senex vario venator comperit usu,
Idcirco obseruans anima non flante latebras
Illorum, calido perfundit nectare terram
Impiger, & tacito spumantia cymbia gressu
Ordine disponens, hinc atq; hinc contra coronat,
Nec mora, lætus odor, viniq; nociua cupido
Elicit insanos, & in atra pericula mittit,
Tunc verò ingeminant haustus laticemq; lyæum
Exorbent, & Bassaridum trieterica viuunt:
Languida quin etiam furioso corpora cursu,
In Venerem soluunt, vino faciente soporem:
Mox citus assurgit venator & opprimit arte
Robore quos nunquam, poterat, prædaq; potitur.
Heu mihi quam multos nimia virtute superbos
Inuenias Pardis similes, qui nomina factis
Extendunt nitido pulsantes vertice cælum,
Hos tamen infandæ vel flamma libidinis vrit,

Vel

*Vel mala luxuries mistoq; insania Baccho.
 Aspice Pellæum Pardum, quo pulchrior alter
 Non fuit in pulchro quem vicerat orbe nec vnquam
 Res similes gessit quisquam breuioribus annis.
 Confectos ætate senes belliq; labore
 Consilijs vicit cunctos, in flore iuuentæ.
 Ergo illi nocuere nihil nec tela nec hostes,
 Sed fœda ebrietas & desidiosa voluptas.
 Qui sapis inuidæq; decus seruare laboras
 Virtutis, semper fuge desidis oia vitæ.
 Ac memor esto Deum cum sit castissimus idem,
 Plectere pollutos & tandem extollere castos.*

VII.

Epitaphium Iohannis Eccij.

*πολλὰ φάγων καὶ πολλὰ πινὼν καὶ πολλὰ κακὰ
 ἐνδὲ ταφῶν ἔκιθ' γαστέρ' ἔδηκε εἶν. (εἶπος)*

*Multa vorans, & multa bibens, mala plurima dicens
 Eccius, hac posuit putre cadauer humo.*

VIII.

*Oraculum ex Pausania, quo poena La-
 cædemonijs, ob duas filias Scedasi vi stu-
 pratas, & in puteum abiectas in
 Leuctris denunciata fuit.*

Leuctra

L Eudramibi sunt curæ, & mors tristissima quæ
Occisæ Scedasi quæ periére duæ.
Hic atrox fiet pugna, & seuissima cædes,
Fatalis quando venerit illa dies.
Quam prius haud quisquam norit, quam dorica pubes
Amittet robur, militiæq; duces.

IX.

Epigramma, quo venustè significatum
est, turbari mentem vino, & accen-
di corpora ad libidinem.

Svm satis illecebras contrà munitus amoris,
Ne solum solus me superare queat.
Nec formido Deum, quamuis mortalis, at ille
Si Bachi adiunget, numina magna sibi.
Non hostes contrà geminos contendere possum,
Et spolia ex vno est non graue ferre duos.

X.

Epigramma quo contrà Papalia mon-
stra commendatur coniu-
gium pium.

Qvicunq; insano temnit connubia fastu,
Coniugij autori displicet ille Deo.
Namq; adeo infectus primæuæ crimine culpæ,
Dum vitæ affectat non nisi suaue genus:

Non

Non videt esse Dei munus quod sancit ipse,
Sancitumq; sua pro bonitate iuuat.
Sed natus vicijs vixit, vitijsq; senescit,
Inuenit in uitijs & sua fata suis.
Inunc & mundo vitam mentire pudicam,
I nunc cum Monachis impie Papa tuis.
Ite quibus sordent ciuilibus munia vitæ,
Quæ parit à magno consita planta Deo.
Ite quibus sordent teneræ Davidis oliuæ,
E quibus humanum prodijt omne genus.
Equibus imperia, & leges nascuntur, & vrbes,
Longinqua celebrent vt pietate Deum.
Dum loquor, exitium fœlix tibi nunciat omen.
I nunc cum Monachis impie Papa tuis.

XI.

In Vintoniensem defensorem cœlibatus.

Qui castitatem magnis laudibus vehis,
Contraq; sanctum disputas connubium,
Tu quisquis ille cœlibum admirator es,
Omitte iam tua cogitata callida
De coniugum ac de cœlibum discrimine,
Et te tuosq; contuere cœlibes,
Quæ vestra vitæ puritas sit istius.
Quod si impuditiæ omnibus plenam notis
Libidinumq; spurcitate videris,

Faci

Fucis nefandas turpitudines nouis
 Ornare cesses. Falsa enim praeconia
 Mores refutant & tui & gregalium.
 Nam quid, Deus bone, tu tuumq; istud genus
 Effæminatum, molle, quale erat Phrygum,
 Idæa currum qui sequentes per iuga
 Matris Deorum pulsitabant tympana,
 De continentia atq; castis moribus
 Speciosa verba sanctimoniam datis,
 Non castitatem vos profecto quaeritis,
 Sed huius ut sub dignitate & nomine
 Impune libereq; turpitudini
 Et seruiatis moribus nequissimis.
 ἀρχιμονῶντες ἐν πρόπῳ πονηρίᾳ
 πᾶσι τ' ἀσελγείᾳ θεοσυγῶ βίᾳ.

VII. PRÆCEPTVM.

Non furtum facies.

Virtutes sunt:

- I. Iusta possessio & bonus vsus
propriarum rerum.
- II. Iustitia commutatiua.
- III. Beneficentia seu liberalitas.
- IIII. Hospitalitas.

V. Par-

V. Parsimonia seu frugalitas.

VI. αὐτάρκεια.

I.

Germanici rythmi matris
Philippi.

Wer mehr will verzeren/
Denn sein Pflug kan ereeren/
Der wird zu lezt verderben/
Vnd vielleicht am Galgen sterben.

Horum est sententia.

Si quis de paruis vult plura absumere rebus,
Quærere quam vigili sedulitate potest:
Is mendicando victum petet ostia pulsans,
Aut feret huic tristem crux laqueusq; necem.

II.

Detestatio negligentiae ex ca-
pite 17. Exodi.

Acer Idumæus loca per deserta vagantes
Arcere Ebræos finibus ausus erat.
Conseruitq; manus, sed Moses arma suorum
Adiuuat, & precibus prælia magna ciet.
Et vincit quoties palmas ad sydera tendit
Quemq; vocat, coram sentit adesse Deum.

E

Bra-

Brachia sed quoties iterum lassata remittit,
Cognitur Ebraei cedere turba ducis.
Ergo die toto dum fusus pellitur hostis,
Erectas palmas ut tenuisse queat.
Subjicitur cubitis orantis saxea moles,
Sollicitoq; suis corde petentis opem.
Sic quoties curamq; precesq; remisimus ipsi,
Ocia securis insidiosa nocent.
Illecebræ vacuas subeunt dulcedine mentes,
Et facile in vitium pectora prona trahunt.
Exacuant igitur tot nostra pericula curas,
Propositæ nobis exitijq; viæ.
Nec quisquam putet his se emergere posse procellis,
Auxilium præsens ni Deus ipse ferat.
Conditor æternus vera est tibi voce rogandus,
Hunc tamen ut places, ara petenda tibi est.
Nulla est grata Deo, nisi Christus, filius, ara,
Qui luit officio crimina nostra suo.
Huic impone manus, huic toto incumbito corde,
Ad patrem nostras perferet ille preces.

III.

Psalmus CXII. Beatus vir qui ti-
met Dominum.

FOelix ille Deum metuit qui pectore toto,
Cuius delitiæ sunt bona iussa Dei.

Illius

Illius & natos, & qui nascentur ab illis,
Cælesti Dominus, crede, iuuabit ope.
Et quæ sufficiant donabit commoda vitæ,
Iustitia est huius vindice tuta Deo.
Grataq; in aduersis cernet solatia rebus,
Afficitur nostris nam Deus ipse malis.
~~Vir bonus æra solet facilis dare mutua egenti,~~
~~Et mens illius nescia fraudis erit.~~
Non poterit talem fortuna euertere iniqua,
Est memor illius semper eritq; Deus.
Fortunæq; minas ille imperterritus audit,
Soliis fidit nam bonitate Dei.
Et quoniam curæ esse Deo se credidit, ipso
Inspectante malis, pœna luenda venit.
Ille suas quia spargit opes, & donat egenis,
Præmia iustitiæ non moritura feret.
Et quamuis secreta diu sint ocia prauis,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

VIII. PRÆCEPTVM.

Non loqueris falsum testimonium
contra proximum tuum.

Virtutes sunt:

I. Veritas.

II. Simplicitas.

E

Candor.

- III. Candor.
- IIII. Constantia.
- V. Docilitas.
- VI. Moderatus vsus linguæ.
- VII. Taciturnitas.
- VIII. Eloquentia.
- IX. Comitas seu affabilitas.
- X. Urbanitas.

I.

FEceris haud quicquam nisi quod fecisse necesse est,
 Quamq̄ dedit, norma est vna sequenda, Deus.
 Et fugito turbam, nisi cum Respublica poscit
 Congressus modicos, futile turba malum est.
 Nec tibi curabis multos adiungere amicos,
 Rara hæc sunt, candor, gratia, iusta fides.
 At si quos poteris req̄ officijsq̄ iuuato,
 Sic tamen, adiutos ne meminisse putes.
 Præcipue verò remis, velisq̄ potentum
 Fucosas fugito cautus amicitias.

II.

Contra curiositatem.

Non curiosè viuere est ingens bonum,
 Si modò nec inter curiosos viuere
 Cogaris, & inter factiosos complices.
 Sed quando viuis inter beluas malas.

Et

*Et simias, oportet fieri simiam,
Heu vita quantis miseris obnoxia est.*

III.

Ex Menandro.

*H*Æc vita gaudet improbis potissimum,
Sed assentator omnium primas tenet,
Vivitq; longè iucundissimè omnium,
Deinde Sycophantæ proximus est honos.
Audire enim calumnias dulce admodum.
At tertius conceditur locus inuido,
Artes nocendi qui scit astutissimè.

III.

Præmeditatè loquendum.

*H*ermogenes voluit laudari dicere multa,
Quod subito posset non meditata prius.
Atticus Orator sed contra turpe putabat,
Dicere apud ciues non meditata diu.
Sculpta, inquit, potius recitarem nam modò scripta,
Causa moram ferret si peragenda reo.
Ab utinam sapiens placeat contatio multis,
Fundant ad gnatum vota q; casta Dei.

IX. ET X. PRÆ.
CEPTVM.

Nonum & decimum Præceptum præscribit normam, ad quam omnes vires & appetitiones hominis voluntariæ, sensitivæ & naturales, & omnes cogitationes, quæ consilia & actiones hominum regunt, congruere debent. Et prohibet concupiscentiam, quæ est ἀταξία omnium virium hominis, quæ legi Dei conformes esse debebant.

I.

Non casu volucres atomi sine mente ruentes,
Hanc mundi formam progenuere novam.
Formatrix sed mens sapiens, bona, libera, casta,
Omnia miranda condidit arte Deus.
Ut homines essent diuinæ mentis imago,
Attribuit radios lucis habere suæ.
Notitias, quales diuino in pectore lucent,
Addidit, & legi congrua corda suæ.
Eheu, dissidium sed nostro crimine venit,
Utuntur flammis iam mala corda vagis.
Notitiæ mansere tamen legesq; seueræ,
Rectè factorum regula vt esse queant.
Et ne ceu pecudum sit vita sine ordine nostra,
His externa Deus vult modo membra regi.
Ut quanquam iratus gladium serringebat Achylles,
Ipse tamen reprimit cum ratione manus.

Ex bis

Ex his notitijs diuinis hæc quoq; fluxit
Doctrina, est isto quæ recitata libro.
In quo virtutum prodest simulachra videre,
Qualia mens hominis pingere docta potest.
Sed Sol iustitiæ radios in pectora spargens,
Christus & adsimilans nos sibi luce sua.
Virtutem accendit meliorem, nescia mortis,
Quæ viuit flatu non moriente Dei.
His igitur scriptis doctrinam adiungito Christi,
Vt viuens in te sit λόγος & ipse Dei.

II.

Ex Hesiodo.

1 Qui nullo monitore potest facienda videre,
Quæq; decent, quæq; euentus in fine secundos
Sunt tandem paritura, suisq; obtemperat ipse
Consilijs, mores vera ratione gubernans,
Ante hic alios virtute & laudibus omnes.
2 Sunt alij minus ingenio pleriq; sagaces.
Qui parere tamen curant meliora monenti,
Laudandos inter rectè numerantur & isti.
3 Sed qui nec sapit ipse, nec audit recta monentes,
Nec patitur frenos, nec legum vincula curat,
Sed pronus sequitur, quod traxit cæca libido,
Hic malus ac odio dignus ducatur, & idem
Accerser pœnas sibi tandem, & tristia damna.

SECUNDA PARS
CATECHISMI SYM-
bolum Apostolicum.

*Credo in Deum Patrem omnipo-
tentem, creatorem cœli & terræ.*

I.

FOELIX qui potuit rerum cognoscere causas,
Naturæ varias & didicisse vices.
Si tamen autorem primum mens quærere curet,
Omnia nec casu corpora nata putet.
Esse Deum mentem æternam, quæ condidit arte
Præsentiq; suum numine seruat opus.
Agnoscas, quoties in cœlum lumina tollis,
Et stellas certis motibus ire vides.
Seu quoties hominis naturam introspicis, atq;
Effigiem nobis cernis inesse Dei.
Hunc rerum fontem si contemplabere, fructus
Magnos de Physicis hæc tibi scripta ferent.

II.

De consideratione humani
corporis.

NON casu volucres Atomi sine mente ruentes
Hanc mundi formam progenere novam.

Forma

Formatrix sed mens sapiens ac optima mundi est,
 Consilio seruans condita cuncta suo.
Quæ clara impressit passim vestigia rebus,
 Conditor agnosci possit vt inde Deus.
Nosse vias numerorum ac ordinis, atq; tenere
 Immotum recti iudiciūq; mali.
Non hæc ex cæcis atomis sapientia venit,
 Verum est naturæ prospicientis opus.
Sic etiam positus cæli terræq; perennes,
 Quodq; trahunt certæ sydera cuncta vices.
Testantur verè numen sapiensq; bonumq;
 Esse, quod has leges condidit atq; regit.
Sic non humano concreta in corpore membra
 Sponte sua, & casu nata sine arte putes.
Singula consultò certos distinxit ad vsus,
 Cum vellet templum nos Deus esse sibi.
Diuina in cerebro radios sapientia spargit,
 Cum verbo mentes luce suaq; regit.
At cor iustitiæ domus est, sentitq; dolores,
 Cum punit fontes vindicis ira Dei.
Adflatuq; Dei purgatum gaudia sentit,
 Et vita fruitur non pereunte Dei.
Formatum ad tantos corpus cum videris vsus,
 Factorem agnoscas, & venerere Deum,
Ipsius & laudes non labes vlla prophanet,
 Pollutum abijciat ne grauis ira Dei.

E §

De

III.
De motu Astrorum in Theori-
cas Planetarum.

Non ferri casu pulcherrima corpora mundi,
Verum mente regi consilioq; Dei.
Testatur Phœbus qui certis legibus annum
Conficit, & notis itq; reditq; vijs,
Et gratis vicibus lucem noctemq; reducit,
Et tempestiuè nata calore fouet.
Temperat & radios quos excipit humida Luna,
Distinguens annum mensibus ipsa suis.
Deniq; cuncta suis labuntur sydera metis.
Naturam proprijs officijsq; iuuant.
Hæc cum suspiciens oculis ac mente notabis,
Autorem agnoscas & venerere Deum.
Hic nobis haustam proprio de pectore mentem
Inseruit, iusti notitiamq; dedit.
Ergo etiam scelerum pœnas hic exigit vltor,
Virtutumq; dabit præmia grata pijs.

IIII.
De tabulis Geographicis.

ESSE Deum ostendit mundi pulcherrimus ordo,
Et distincta locis corpora prima suis.
In medio terra est sedes animantibus apta,
Orbis quam circum lucidus astra vehit.

Sunt

Sunt quibus arte via factæ, metæq; perennes,
Nec casu ex atomis omnia nata putes.
Aspicias igitur terras, ac astra, sciasq;
Esse Deum, cuius nos quoq; cura sumus.
Et videas vbi non dubijs oracula signis,
Et leges dederit conditor ipse suas.
Quoq; loco fuerint Christi vestigia certa,
Qui λόγος est natus de genitore Deo.
Et spectes fuerint vbi primum maxima regna,
Lapsa alijs populis cur dederitq; Deus.
Has igitur tabulas Regionum cernere prodest,
Quæ spectatorem talia multa monent.

V.

De lectione Historiarum.

Ipse Deus metas annorum condidit arte,
Quas oculis simul & mente notare iubet.
Vt generi humano sint nota exordia mundi,
Ex atomis casu nec coïsse putes.
Vtq; Deus quo se patefecerit ordine constet,
Quæq; sit è cælo vox data prima Dei.
Et quando fuerit venturus, victima vt esset,
Æterno natus de genitore λόγος.
Quodq; habeant finem mortalia cuncta sciendum est,
Iudicijq; instet quando tremenda dies.
Annorum rerumq; igitur sit notus vt ordo,
Regnorum historia est tota legenda tibi.

Hæc

Hæc etiam ostendit diuinum numen adesse,
Quod nos iustitiam nosse & amare docet.
Punit & iniustos magnis cruciatibus omnes,
Ne dubita, iniustis lex rata semper erit.

ALIVD.

Oceani rapidis vt ventis vnda cietur,
Semper habent varias sic quoq; regna vices:
Vltima sed motus grauiores sentiet ætas,
Impia Turcorum quæ modo regna videt.
Christe tua hos inter fluctus quassabitur argo,
Attamen hanc rabies mergere nulla potest.
Nos prolata tuo qui dogmata discimus ore,
In cymba serues optime Christe tua.

VI.

ASTra quidem sunt ipsa Dei certissima signa,
At doctrina Deum certius esse docet.

ARTICVLVS SECVN- dus, de Redemptione.

Et in Iesum Christum filium eius
vnicum Dominum nostrum. Qui con-
ceptus est de Spiritu sancto, natus ex
Maria virgine, passus sub Pontio Pi-
lato,

lato, crucifixus, mortuus & sepultus.
Descendit ad inferna, tertia die resur-
rexit à mortuis. Ascendit ad cælos, se-
det ad dexteram Dei Patris omnipo-
tentis. Inde venturus est iudicare vi-
uos & mortuos.

I.

De Dicto I. Paralip: 17. Aspexisti me
in forma hominis, qui es in excel-
sis Iehoua D E V S.

In forma quod nos hominis placidissime Christe
Aspicias, & tamen es conditor ipse Deus:
Et nostram massam miseratus crimina deles,
Et vitæ æternæ gaudia vera dabis.
Hæc grati canimus tua dona, simulq; precamur,
Tu nos vt doceas luce regasq; tua.

II.

De appellatione Siloh.

Magni consilij qui diceris angelus esse
Æterno natus de genitore λόγος.
Edidit Isacidæ læta hæc oracula voce,
Cum fuit exilij duxq; comesq; seni.

Non

Non prius amittet sceptrum Iudæa propago,
Quam veniet Siloh missus ab arce poli.
Perpetuæ reddet vobis qui gaudia vitæ,
Crimina cum proprio vestra cruore luet.
Cur tamen est dictus seruator nomine Siloh?
Quod de virgineo nomine foetus erit.
Et fragili similis chorio, pelliq; cruentæ,
In cruce cum tabo vulnera facta fluunt.
Talis at est factus pro nobis fascia Christus,
Quanquam iustitiæ fons sine labe manet.
Nos homines autem verè tam sordida massa,
Nos lacerum chorion, putre reumq; sumus.
Sed tu Gnate Dei nostras etiam indue pelles,
Et vitam miseris insere fasciis.
Nec tamen hanc reddis, nisi qui tua dogmata discunt,
Tantum hanc ad vitam vis Deus esse viam.
Ergo precor studia hæc tu semper dirige Christe,
Æterno Siloh vera propago patri.

III.

Alia, in qua appellatio Siloh, quam Iacob Christo tribuit, Gen: 49 expressa est.

GNate Dei effigies æterni viua parentis,
Æterna verbum mente satumq; patris.
Indutus nostra qui carne in virginis aluo,
Humanum accedis, maxime Christe, genus.

Te pi-

*Te pius Isacides compellat nomine Siloh,
Quod teneræ es fœtus virginis ipse tener.
Ac velut inuoluens fœtum membrana recentem,
Dum rude sub matris pectore turget onus.
Mollis & ad motus non est durabilis vllus,
Pendet & à cotylis squalida tota nouis.
Sic infirma fuit caro tunc tua maxime Christe,
In cruce pro nobis cum lacerata fuit.
Indueras etenim mirando fœdere carnem,
Huic nostræ similem, supplicijq; ream.
Sed prorsus fragilis nos ipsi, & sordida pellis
Materna chorion labe reumq; sumus.
Attamen hoc viuet chorion, quando induis ipse,
Voce tua sanans atq; cruore lauans.
Sic autem nobis diuina hæc munera dantur,
Cum discunt vocem pectora nostra Dei.
Ac cœtus idèd discentum Christe tueris,
Vt chorion verè sit schola nostra tuum.
Ac tua tuta precor seruetur fascia Siloh,
Ne queat hanc vllus dilacerare furor.*

III.

Psalms CX. Dixit Dominus Do- mino meo &c.

***D**at Domino noua regna meo pater optimus illi,
Quem mihi promisit venturum ab origine nostra,
Et delere iubet cunctos qui recta monentem*

Content

Contemnunt, regni primum Sionia rupes
Auspiciū visura noui, hic vbi gentis Hebrææ
Impia posteritas scelerato extinguere ferro
Hunc volet, ipse tamen superato ex hoste triumphum
Lætus aget, mediosq; inter dominabitur hostes.
Ac vt Vere nouo tenebris cum fortè remotis
Mane aurora diem nobis, lucemq; reducit,
Effundit rorem campis sitientibus æther:
Vndiq; sic venient ad regia signa cateruæ,
Vndiq; & agnoscent Dominum, monitusq; sequentur,
Ille pios inter tam multa pericula vitæ
Proteget, & mortis feralia iura fugabit.
Sed non sceptrum modò geret ille, & regis honores:
Namq; Sacerdotis summi quoq; munus obibit,
Iratumq; patrem nobis placabit, & vnus
Orabit miseris veniam mortalibus, atq;
Victima erit pro delictis gratissima nostris.
Nec veteri ritu pecudes maectabit ad aras,
Quem pater ad seros Aaron misisse nepotes
Traditur, aut vituli consperget saxa cruore,
Aut metuende pater salsa tibi fruge litabit,
Non etenim offensi flectebat numinis iram
Talis honor, faciet noster noua sacra Sacerdos.
Et velut Abramum successu cædis ouantem,
Raptaq; de victis spolia hostibus ampla ferentem
Melchisedech, paruis Solymis qui regna tenebat,
Excipit, & grata victorem voce salutat,
Atq; viro benedicit, & omnia cœpta secunda

Esse

Esse iubet, nec erunt, inquit, nostra irrita vota,
Approbat ista Deus, qui te seruatq; regitq;
Talia pro nobis faciet quoq; vota Sacerdos
Noster, ut humani generis mala plurima verum
Conditor ipse leuet, miserisq; errata remittat,
Et nunquam moritura nouæ det gaudia vitæ,
Nec verò æternum mors finiet huius honorem,
Viuet, & ipse suo fungetur munere semper,
Ut summi patris assidua prece mitiget iram.
Huic igitur regi iuuenes parete, senesq;
Tempus enim, mihi credite, erit cum numinis vltor,
Contempti ipse sui pœnas, & iusta reposcet
Supplicia, & figet semper mansura trophæa
Hostibus extinctis, Nam magni dextra parentis
Hunc iuuat, & regum franget viresq; minasq;
Et quanquam ærumnas nostras, mortemq; subire,
Et perferre iubet pater, hunc tamen inde reducet
In vitam, fascesq; dabit, regnumq; tenere.

V.

Summa doctrinæ Christianæ ad piam iuuentutem.

HÆc pueri veræ pietatis credite summa est,
ET meminisse Deum & bonitati fidere patris.
Et casti mores, mentisq; exempla renatæ.
Ille Deum metuit, magnam qui iudicis iram
Sentit, & illius horret fascesq; minasq;.

F

Et so

Et se supplicium æternum meruisse fatetur.
Primus hic est gradus ad Christi cœlestia regna
Sic vates Esaia canit, te maxime rerum
Conditor in pavidō & deiecto corde habitare,
Si pudeat peccasse, dolorq; hic pectora scindat.
Non simulentur ait lachrymæ gemitusq; Iohelus,
Iusta Dei non antè vnquam placabitur ira
Quam tibi displiceant vitæ commissa prioris
Et verè doleas rerum offendisse parentem.
O vis quanta iræ est, immensa potentia cum se
Exerit atq; sui contemptum vlciscitur, inq;
Infirmas animas ingenti numine sæuit.
Pœniteat vitæ Petrus, inquit, turpiter actæ,
Hæc est ad veniam nobis via prima petenda,
Dum viues nunquam sanctum depone timorem,
Sæpe Deiq; minæ, cœlestia fulmina, menti
Terrorem incutiant pectus frangantq; superbum:
Sed tamen interea mentem fiducia semper
Erigat, atq; metum quædam solatia rursus,
Luctando superent de Christo prodita nobis
Et peccata tibi per Christum crede remitti,
Ingentemq; iram placari numinis, & si
Spem veniæ mens ægra, grauiq; absterrita mole,
Et varijs scelerum formis dubitet retinere.
Tu confide tamen: gratis ignoscere nobis
Decreuit pater & nostrum demisit in orbem,
Vt peccatores seruaret credite, gnatum.
Non nostris tribuit benefactis munera tanta,

Vnico

Vnica pro nobis maētata est victima Christus.
Hoc Euangelium Romanos Paule docebas,
Nostra nihil benefaēta queunt nos iustificare.
Iustitia haec demum est vni confidere Christo,
Quod tibi placarit patrem, veniamq, rogarit
Ille vnctus digitis patris vnus cuncta Sacerdos
Impetrat, & nunquam sunt illius irrita vota.

TERTIUS ARTICVLVS de Sanctificatione.

Credo in Spiritum sanctum, Sana
Etam Ecclesiam Catholicam, Sancto-
rum communionem. Remissionem pec-
catorum, Carnis resurrectionem. Et
vitam eternam, Amen.

I.

Imago Ecclesiae, Exodi 33. Moses stans
in cauerna rupis, ac videns tergum
Dei praetereuntis.

Insita sunt animis nostris ab origine prima
Notitiae auctoris semina vera Dei.
Impositum vt nobis Dominum sciremus, & eius
Inmotae legi subdita vita foret.

Heu cur has flammæ diuinæ extinguere lucis
Tam multi obliti seq̄ Deumq̄ solent.
Iustaq̄ legitimæ conturbant fœdera vitæ.
Contemptoq̄ ruunt in scelus omne Deo.
Sed paucos tamen hæc accensa in pectore flamma
Permouet, vt vitæ munera iusta colant.
His nouisse Deum propius coramq̄ videre,
Quantum concedet, maximus ardor inest.
Ergo etiam Moses vultus in lumine claro,
Monstratos Domini cernere posse rogat.
Sed docet & Mosen, & nos, totumq̄ piorum
Agmen, vbi agnosci se Deus ipse velit.
Non hæc pigra hominum concreta ex puluere moles,
Insuper & vitijs contaminata suis.
Sustinuisse potest diuini incendia vultus,
Cum sordes nostras iudicis ira videt.
Ergo iubet Mosen sublimi insistere rupi,
Illius & latebris se tenuisse cauis.
Hac ego præteriens, inquit, dabo terga videnda
Sic, vt & interea te mea dextra tegat.
Nos quoq̄ in immota docuit consistere rupe,
Amplecti gnatum dum iubet ipse suum.
Et latebræ nobis subeundæ Ecclesia sola est.
In qua Euangelij dogmata pura sonant.
Namq̄ Deus transit per mundi secula cuncta,
Vt cætus aliquos iungat & ipse sibi.
Nec genus humanum quod imago debuit esse,
Autorem referens omne perire sinit.

Quosq̄

Quosq; sibi adiunxit locat vno in vertice cunctos,
Nemo illum ex alia cernere sede potest.
Hi vocem agnoscunt, & facta ingentia cunctis,
Præsentemq; vident semper adesse Deum.
Expectantq; olim venturæ gaudia vitæ,
Et bona quæ nullo sunt peritura die.
Tunc nec erunt discedentis vestigia tantum,
Nec tantum longè terga videnda Dei.
Sed fulgore nouo propius spectabimus ora,
Colloquio dabitur perpetuoq; frui.
Arcanas causas inspecto fonte sciemus,
Et gratæ mentes munera tanta canent.
Interea bellis lacerantur regna, suasq;
In pœnas fato mundus vbiq; ruit.
Ac velut aggestis Tytanas montibus ausos,
Ad sublimem arcton scandere fama refert.
Conatosq; astris extinctis, omnia rursus,
In vetus & cœcum vertere mixta chaos.
Turcica sic rabies passim sese impia iactat,
Aduersus gnatum bella mouere Dei.
Deniq; cum varijs quatiatur motibus orbis
Exercent Christi multa pericla gregem.
Sed tamen hos inter terrores magna verendi
Dextra pios cœtus protegit ipsa Dei.

II.

De vagiente Ecclesia.

F 3

Æterni

Æterni de mente patris sapientia nata,
In qua mundi operum fulsit Idæa noui,
Et quæ distinxit pulcherrima corpora rerum,
Et iussit formas singula habere suas.
Hæc eadem in paruis vagit sapientia cunis,
Naturæ nostræ membra tenella gerens.
Sic quanquam infundit se nostra in pectora, nobis
Nondum se totam cernere posse dedit.
Ut tamen in nobis sint tantæ exordia lucis,
Tanquam vagitus dogmata prima sonat.
Non spernis quanquam infirmos, si debita credans
Te λύτρεα pro nobis Christe dedisse patri.
Ab precor infirmis assis ut mentibus, atq;
Doctrinæ foueas semina sparsa tuæ.
Dum tua se totam pandet sapientia nobis,
Atq; patrem clara luce videre dabit.
Quando mortali soluentur carcere mentes,
Et duce te cœli culmina celsa petent.
Christe tuo exulibus patriam tu sanguine reddis,
Nulla venit nobis te nisi dante salus.

III.

De nauis Christi, quæ est Ec- clesia Dei.

Avricomum vellus postquam transuexit Iason
In patriam, sperans debita regna sibi.
Oppressit Dominum nauis de culmine lapsa,
Sed qua defessus iam cubat ipse domi.

Non

Non te Chrifte tamen tua, quam regis, opprimet Argo,
Quamuis & rimis est lacerata suis.

Tum quoq; cum fluctus ciet imo ex gurgite Orion,
Et rapidi venti prælia sæua mouent.

Quassatam medio in Pelago tua dextera seruat,
Et verè es nautis anchora sacra tuis.

O viua effigies æterni, luxq; parentis,
Defendas cœtus optime Chrifte tuos.

Qui tua non ficta discunt oracula mente,
Atq; tuo poscunt numine semper opem.

III.

In tabulam Ecclesiæ Dei sub imagine
Halcyonum, descriptam
carmine.

Fluctibus in medijs pariens Ecclesia quare
Halcyonum similis sit, tabula ista docet.

Illæ sed est alijs etiam depicta figuris,
Naturæ impressit plurima signa Deus.

Nidus humi iacet inter saxa Hypolaidos, in quem
Ignauus Cocyx oua fouenda gerit.

Cumq; diu pavit cuculum officiosa voracem,
Nec tamen ingluuiem iam saturare potest.

Tum sibi seruata soluens mala præmia vitæ,
Nutricem cuculus deuorat ore suam.

Sic pia se præstans Thammero Ecclesia matrem.
Serpentem proprio nutrijt ipsa sinu.

Non timet in matrem crudeles vertere morsus,
Ille nec esse Deum, qui videt ista, putat.
Gnate Dei prohibe proprii defensor honoris,
Visceribus cuculos se satiare tuis.

V.

De Mose percutiente petram.

Qua regione Arabum fines Sineia rupes
Claudit, & incultas aspicit alta plagas.
Ægra siti lymphas medijs quærebat arenis,
Gens ex Isacidæ semine nata patris.
Et quanquam passim terram effodere perustam,
Nulla ibi larga tamen vena reperta fuit.
Iamq; animas exhalabant, siccata labellis
Dum matrum infantes vbera fortè trabunt.
Expirantq; simul matres, tristici sepulchri
Munere maternus fungitur ipse sinus.
Hic iterum subeunt animos nova tædia vulgi,
Pœnitet & Pharias deseruisse domos.
Nec tantum accusant Mosen, sed grandius addunt,
Quod premat indignos, crimen habere Deum.
Scilicet hæc miseris nimium vulgata querela est,
Iusta sed est semper iudicis ira Dei.
Et quanquam fontes punit, tamen inter eosdem
Seruat reliquias agminis ipse sui.
Ergo iubet Mosen percussa educere rupe,
Pro populo vndarum flumina larga suo.

Obse-

Obsequitur Moses, noua sed confusio mentem
Turbat, & aggresso diriguere manus.
Et cuius nunquam pectus trepidauerat ante,
Si quando fuerant iussa obeunda Dei.
Iam veluti naui scopulis allisa fatiscit,
Sic rupem aspiciens excidit iste sibi.
Et ferit & dubitat, sed mox se colligit ipse,
Et vigor in pectus, qui fuit ante, redit.
Ergo ardens iterum rupem Sineida pulsat,
Et baculo cogit cedere saxa suo.
Quodq; riget latè loca vasta effundere flumen,
Vnde sibi dulces hauriat agmen aquas.
Hoc Deus exemplo monstrat se pascere egentes,
Quos ad militiam deligit ipse suam.
Sed tamen & maius quiddam spectacula tanta
Significant, multum quod meminisse iuuat
Legifer vt Moses est iussus scindere rupem,
Sic propter legem vulnera Christus habet.
Lex immota manet, peccatum punit & odit,
Proponitq; iræ plurima signa Deus.
Verum ne prorsus natura humana periret,
Neue hæc frustra esset condita imago Dei.
Pro nobis Gnatus patris intercessit, aditq;
Pœnam, quam iusti sanxerat ira Dei.
Lex igitur Christum insontem percussit, & inde
Manarunt vitæ flumina grata nouæ.
Cur autem trepidat Moses? præsagia luctus,
Venturo in populo tunc pavor ille fuit.

*Quæ legem, vocemq; Dei gens audiit vna,
Hæc Christo Domino est iniicere ausa manus.
Venturum scelus hoc exhorrent pectora Mosi,
Et nondum noto mora dolore stupent.
Sæpe duces populi feriunt te maxime Christe,
Anteferunt dictis cum sua iura tuis.
Et cæci decus esse putant non soluere leges,
Quas decuit voci cedere sponte Dei.
Est virtus leges & morum vincla vereri,
Si tamen & legum regula Christus erit.*

VI.

De exilio Christi & Ecclesiæ.

Exul erat Christus, comites nos exulis huius
Esse decet, cuius nos quoq; cura sumus.

VII.

De nomine Margaridos.

Margaris in conchis oritur dulcedine roris,
Nomina quæ sponsæ Margaris apta dedit.
Rorem Euangelij quo pingit nomine Christus,
Mens quia quem sitiens ceu noua concha rapit.
Sicut arenoso sitiens in littore concha,
Quando suum primum ver modo tempus agit.
Siccior è cæli stillantem cardine rorem,
Pinguior vt fiat fertilitate, petit.

Quo

Quo benè nunc hausto (quod est mirabile dictu)
Gemma salutaris cordibus inde venit.
Hæc tamen in magnis generosior acta procellis,
Si modò post rorem turbo sequatur, erit.
Parua redemptoris sic est Ecclesia Christi,
Donec in hac mundi colluione lateat.
Appetit è cælo cælestia dogmata, rorem.
Dogmata uiuentis tradita voce Dei.
Hoc sic attracto sitienti in pectore rore,
Nascitur inq; animis mox noua gemma pijs.
Scilicet agnitio uero de nomine uera,
Cumq; Dei surgit firma timore fides.
Æterni bonitas tunc fit conspecta parentis,
Quando fide pectus sentit adesse λόγος.
Hæc lux atq; fides inter certamina crescit,
Cum petit auxilium maxime Christe tuum.
Hæc quoq; contriti cordis data gemma dolori,
Vnica solamen quod medicatur, habet.
Præstat & æternæ uerissima gaudia uitæ,
Gaudia quæ nullo sunt moritura die.
Has propter causas ad gemmam dogmata pacis,
Filius æterni comparat ipse Dei.
Ergo bonis studijs decus ornatissime Dauid.
Qui uatum meritò dignus es ore cani.
Cum tua Margaridos coniunx pulcherrima nomen,
Omne tam rebus conueniente gerat.
Te decet hoc ipso lætari nomine sponsæ,
Quod monet ut Christi dogmata semper ames.

In

VIII.

In picturam VVitebergæ.

Parua domus viduæ vatem quæ pavit Eliam,
Vix benè Sidonio littore nota fuit.

Inde tamen latè diuini semina verbi,
Auspice per populos sparsa fuère Deo.

Sic patriam SENONES vbi sedem habuère vetusti.
Quæ nunc Saxonico subdita terra duci est.

Urbs non magna quidem gelida VViteberga sub arcto,
Adiacet ad ripas Albi vadose tuas.

Hinc tamen extremi sub turbida tempora mundi,
Lux Euangelij sustulit orta iubar.

Claraq; diuino radios augente fauore,
Per multas passim lucet in orbe plagas.

Da Deus vltèrius successum & suffice vires,
Et tua contra omnes assere dona minas.

Atq; Euangelij plures vt voce vocati,
Sincera facias te pietate colant.

Et velut hospitium seruasti vatis Eliæ,
Doctrinæ quod tunc arx fuit vna tuæ.

Sic etiam vt celebrent secla hic venientia Christum,
Albidos in ripis templa scholamq; rege.

IX.

In imaginem Christophori.

Ista

Ista pie mentis formam tibi monstrat imago,
Quæ Christum vera cum pietate colit.
Nam velut in medijs incedit fluctibus heros,
Qui non magnum humero sed graue gestat onus.
Sic & multa pios discrimina oportet adire,
Qui verbum portant maxime Christe tuum.
Omnia destituunt iustos solatia, nemo.
Auxilium tristi tempore ferre solet.
Tu quoq; deseruisse tuos ô Christe videris,
Sunt etiam qui te posse iuuare negent.
Hoc est cur pueri sis pictus imagine, namq;
Conuenit infirmis ista figura magis.
Tu quoq; lapsantes interdum deprimis ipse,
Irasci quoties te sibi velle putant.
Sustentat tamen, & præbet solatia verbum,
Ergò arbor gressus arida facta regit.
Hæc tamen in florem rursus sese induet arbor,
Reddet enim iustis præmia digna Deus.
Ille senex lumen qui præfert doctor habendus,
Errantem vt monitis ritè gubernet, erit.

X.

PSALMVS II.

Quis furor est contra cœlestes arma mouere?
Successu impietas est caritura viri.
In celsa tradit mihi regia sceptrum Sione,
Et mandata Deus dat noua ferre mihi.

Namq;

Namq; ait ipse pater, gnatus mea summa voluptas,
Heres iure mihi totius orbis erit.

Huius qui sequitur regis victricia signa
Fortunæ tutas rideat ille minas.

Maximus ista pater gnatum mandata per orbem
Non vana in populis spargere voce iubet.

Vos populi gnato patris date thura supremi,
Hoc quisquis fudit principe saluus erit.

XI.

Imago Somnii.

Aiacem vidi stantem, iuuenilia membra,
Qui fului indutus pelle leonis erat.

Fraxineamq; hastam cum fortis dextra teneret,
Leuum ipsi clypei texerat umbo latus

In quo magna bouum dicuntur tergora septem
Artificis docta iuncta fuisse manu.

Sed supra caput Aiakis mons eminent altus,
Floribus & læto gramine ubiq; virens.

Cuius in excelso victor stat vertice Christus,
Vnicus æterno de genitore satus.

Signa gerens, reducem superata morte, triumphū
Qualia tunc comitum ferre caterua videt,

Huius sub pedibus medioq; in monte trophæum
Angelica crux est aurea fixa manu.

Multa quidem pauide simulachra fugacia mentes,
Que cæca volitant irrita nocte, vident.

Sed

Sed tamen hæc si non lufit fallacibus vmbriis,
Talia follicitos forfan imago monet.
Irati quamuis mouerunt tristia bella,
In sua grassantur viscera iamq; duces.
Et iam civili patria est polluta cruore,
Iustaq; non fontes opprimit ira Dei.
Ut tamen in medijs laceratus naufragus vndis,
Qui superest tabulas colligit ipse sibi.
Sic aliquem eripiet cœtum de fluctibus istis,
Æterno Christus de genitore satus,
Estq; inter dubios mansura Ecclesia motus,
Et Christus victor montis in arce sterit.
Elege precor nobis iratum Christe parentem,
Qui vis pro nobis supplicis esse loco.
Et quam sparsisti prolatam è mente parentis
Deleri vocem ne patiare tuam,
Doctrinaeq; tuæ studium, paruamq; Sareptam
Doctrinae hospitium protege queso tuæ.
Et placidam clemens nobis concedito pacem,
Tuq; ducum mentes tu populiq; regas.
Nemo meis manibus cœtum mea dicta colentem,
Sic inquit tua vox, eripuisse potest.
Hæc promittit opem nobis, et pectora, vt à te
Ausint auxilium poscere, nostra mouet.
Vt serues igitur, votis te ardentibus oro,
Agmina, quæ legis sunt studiosa tuæ.
Semper vt agnitio mortales luceat inter,
Mansura æterno tempore, vera tui.

XII.

De Monarchiis ex Daniele Propheta.

Aspicis ut iacent dissecti membra colossi,
Qui Chaldaea olim visus in arce fuit.
Sed tantum pars ima pedum ferroque lutoque
Mixa, statim rimis corruitur a suis.
Deleuere vrbes Teucris, populoque potentes,
Sunt igitur ferrum, caetera regna lutum.
Sed lapis absque manu celso de monte reuulsus,
Mox aderit iudex filius ipse Dei.
Totiusque plantae delens ferrumque lutumque,
Regna dabit populo non peritura suo.
Ergo Dei gnato se dedant pectora nostra,
Ipsiusque discant iussa verenda sequi,
O λόγε gnate Dei nostris in mentibus adsis,
Et flatu accendas pectora nostra tuo.

XIII.

In tumulum Iohannis Ernesti Ducis Saxoniae, qui infans decessit.

Quisquis adhuc venies tumulum subsiste, Ioannis
Hic tegit Ernesti frigidus ossa lapis.
Saxonicae gentis Dux seruantissimus aequi
Iohannes genitor cui Fridericus erat.

Menstrus

*Menstrua Luna semel nondum compleuerat orbem,
Cum vidit nati funera mœsta parens.
Hunc vt suscipias faciunt pia vota parentes
Innocuum gremio maxime Christe tuo,
Nam patris illa tui est, te testificante, voluntas,
Ne pueri æternamorte perire queant.
Hosq; iubes ad te nullo prohibente venire,
Dicis & his cœli regna patere tui.
Et quando vitæ te fata volente peregit,
Commendat fratres hac tibi voce suos.
Respice qui viuunt germano sanguine fratres,
Atq; his Christe tuo, numine dexter ades.
Fœlices vt eant in fortia facta parentis,
Vt teneant fausta patria sceptrâ manu.*

XIIII.

Epitaphium Friderici Ducis Saxoniae principis Electoris.

A*Nte petet cursu Boêmica rura supino,
Vnde in Saxonicos defluit albis agros.
Inclÿta quam possit meritorum fama tuorum
Occidere in populis, Dux Friderice, tuis.
Aurea viderunt hæ gentes secula, regni
Dum tibi Saxonici sceptrâ tenere datum est.
Pace frui placida campi, vrbesq; solebant.
Horrenda extimuit classica nulla nurus.*

G

Bella

Bella alij ferro, sed tu ratione gerebas,
 Et sine vi victi sæpè dedere manus.
 Ingenio claros meruisti sæpè triumphos,
 Militeq; haud vllò fixa trophæa tibi.
 Et pacis studijs florere, ac artibus vrbes
 Contigit auspicio Dux Friderice tuo.
 Fouisti spretas hac tempestate camænas,
 Vnicus & studijs præmia digna dabas.
 Namq; tuo sumptu flauum schola condita ad Albim est.
 Vt vitæ verum traderet illa modum.
 Hic Euangelij primum doctrina renata,
 Detergo cæpit pura nitere situ.
 Induit hic veros vultus, iterumq; colorem.
 Accepit tandem religio ipsa suum.
 Et cum Germani sumpsissent arma Tyranni,
 Contra Euangelium sanctaq; iussa Dei.
 Doctores tibi cura pios defendere soli,
 Et latè Christi spargere dogma fuit.
 His tibi pro meritis grata præconia voce
 Posteritas omnis, virq; puerq; canent.
 Nulla tuas vnquam virtutes nesciet ætas,
 Non ius in laudes mors habet atra tuas.

XV.

HÆc quicunq; vides oculo properante viator,
 Ad sacra ne pigeat sistere busta pedem.
 Ille ego Fridericus, Duce quo Saxonia fœlix
 Ardua sacratum tollit ad astra caput.

qm

Qui, quamuis tota arderet Germania bellis,
Effeci pacem gentibus esse meis.
Et senio tandem longis confectus ab annis.
Hic tegor exiguo conditus in tumulo.
Virtutum laudes & famam longa mearum
Posteritas semper sit modo grata, feret.

ALIVD.

PRincipis hic tumulus Friderici continet ossa,
Quem patriæ patrem fecerat esse Deus.
Illius & manes fac optime Christe quiescant,
Molliter inq; sinu posse latere tuo.
Nam dum vita fuit, tua sacra colebat, eratq;
Nosse Euangelium maxima cura viro.

XVI.

Epitaphium scriptum Illustrissimo prin-
cipi D. Iohanni Electori, Du-
ci Saxoniae, &c.

TV quoq; Saxoniae Iohannes inclyte Princeps,
Non virtute minor cognite fratre tuo.
Eximia Christum pietate fideq; colebas,
Vita piæ mentis testis eratq; tua.
Vindelicis coram tua Cæsare nuper in oris,
Afferuit Christi lingua professa fidem.

Notior vt fieret diuini gloria verbi,
Temporibus fulsit quæ rediuiua tuis.
Vtq; Euangelij studium deponere velles,
Flectere non vllæ te potuere minæ.
Ista tui incendit constantia pectoris hostes,
Attulit & passim multa pericla tibi.
Sed te difficili protexit tempore Christus,
Et gratam pacem pro pietate dedit.
Ac tua sæpè tamen moderatio profuit ingens,
Impia ne quisquam sumeret arma manu.
Hac longè superas aliorum laude triumphos,
Hæc virtus magno principe digna fuit.
Ergo tuum à nullo nomen delebitur æuo,
Nec meriti laus est interitura tui.
Hic tua, dum Christus meliori corpora sorte,
Restituet iustis, molliter ossa cubent,
Spiritus adest, viuat, gratoq; fruatur honore
Interea Christi conditus in gremio.

XVII.

Aliud Epitaphium Ducis Iohannis Saxonix Principis Electoris.

Condita Saxonici sunt hic Ducis ossa Iohannis,
Qui coluit vera cum pietate Deum.
Et donec patriæ tenuit moderator habenas
Tranquillæ custos pacis & autor erat.

Quam-

Quamquam Euangelium dum spargi fuit in orbem,
Insidijs vidit seq̄, suosq̄, peti.
Attamen has semper vicit ratione, nec vnquam
Bèllica ciuili pertulit arma togæ.
Inter fœlices animas, te Christe precamur,
Ipsius manes vt tueare pios.

XVIII.

Petri Mosellani Epi- taphium.

Conditus exiguo iacet hoc sub marmore Petrus,
Nobile cui nomen clara Mosella dedit.
Attica quo primum hic audita interprete lingua est,
Cum docuit graio Teutonas ore loqui.
Et latæ veterem linguæ reuocauit honorem
Natiuumq̄, illi reddidit arte decus.
Ipsius eloquium viuo Cicerone probasset,
In medio quondam Roma diserta foro.
Magna etiam coluit pietate oracula Christi,
Et sanctis studijs consona vita fuit.
Ipse sua viuus quod spe votisq̄, petiuit,
Pars sit vt ætherei da bone Christe chori.

XIX.

Epitaphium Benedicti Pauli.

Frigida in hoc tumulo Benedicti membra teguntur,
Cognomen Pauli qui patrium tenuit.
Doct̃or erat Iuris, virtute ornatus & arte,
Eloquio clarus, consilio atq; fide.
Saxoniae Ducibus sententia saepè probata est
Ipsius, & patriae profuit ille suae.
Iustificaq; fide quoniam te Christe colebat,
Conspectu fruitur mens modo læta Dei.

XX.

Aliud, scriptum clarissimo viro D.
Hieronymo Schurff, Do-
ct̃ori Iuris.

Doctor erat iuris præstans Hieronymus arte,
Iustitia, ingenij viribus, atq; fide.
Schurfiadum de stirpe satus, quæ clara per alpes,
Helueticas numerat secula multa patrum.
Iura enarrauit lustris bis quinq;, nec ullus
Ostendit fontes dexteritate pari.
Consilijs rexit fidis populosq; ducesq;
Lumen enim iuris temporis huius erat.
Hunc etiam sapiens Cæsar dignatus honore est
Carolus, imperij qui modò sceptrum tenet.
Quæq; leget veniens ætas, monumenta reliquit,
Multorum studijs proderit iste labor.
Iusticiæ esse Deum fontem quia nouerat ipsum,
Ut rectè nosset maxima cura fuit.

Iusti-

*Iustificaq; fide capiens tua munera Christe,
Solius est cuius parta cruore salus,
Vera luce Deum agnouit, precibusq; vocauit,
Et rectæ fidei congrua vita fuit.
Ipsius hoc tumultorequiescunt molliter ossa,
Viuit conspectu mens, fruiturq; Dei.*

TERTIA PARS CATECHISMI, Oratio Dominica.

Pater noster qui es in cælis,

I.

**Canticum Angelorum : Gloria
in excelsis Deo.**

Q*uare ad pastores primum vox nuncia venit,
Angelicus summa quam tulit arce chorus.
Nempè vt præcipuè pastores carminis huius,
Gentibus autores esse ducesq; velint.
Vt summo patri veri reddantur honores,
Et toto fiat notus in orbe Deus.
Ac latè in mundo spargantur munera Christi,
Quæ sunt placati pignora certa patris.*

G 4

Et

Et curent vt sit pacata Ecclesia Christi,
Concordiq; regant ore fideq; gregem.
Sit procul à Christi discordia sc̃ua ministris,
Namq; Deus poterit, non nisi pace coli.
Nulla lues ouibus tantum non vlla venena,
Quantum pastorum dissidia ipsa nocent.
At generi humano tunc aurea viuatur ætas,
Tunc animi capiunt gaudia vera p̃ij.
Cum summi patris est verè patefacta voluntas,
Et cum nos curæ nouimus esse Deo.
Cumq; vna Christum tranquilla Ecclesia voce
Concinit, & studio laudat vbiq; pari.
Hæc præcepta canit cœtus pastoribus ille,
Officij memores & iubet esse sui.
Quod quicumq; facit bona vera & maxima cunctis
Affert, quæq; ætas nulla abolere potest.
Et quoniam angelicum mortalibus inchoat hymnum,
In terris verè est Angelus ipse Dei.

II.

In tenebris nostræ, & densa caligine mentis,
Cum nihil est toto pectore consilij.
Turbati erigimus Deus ad te lumina cordis,
Nostra tuamq; fides solius orat opem.
Tu rege consilij actus pater optime nostros,
Nostrum opus vt laudi seruiat omne tuæ.

III.

TE maneat semper seruante Ecclesia Christe,
Insertosq; ipsi nos tua dextra regat.
Tres velut in flamma testes Babylonide seruas,
Rex vbi praesentem te videt esse Deum.

IIII.

Spiritus vt Domini nascentia corpora fouit,
Cum manus artificis conderet ipsa Dei.
Sic foueat coetus, qui Christi oracula discunt,
Accendatq; igni pectora nostra suo.

V.

Ager & vlceribus squalens in corpore toto,
Hic iaceo, & pereunt tabida membra fame.
Diuitis ante fores iacuit ceu Lazarus olim,
Cui fastidito nemo ferebat opem.
Vt tamen à cunctis spretus, tua cura, tuoq;
Exceptus gremio Lazarus ille fuit:
Sic, æterne Deus, tua me clementia seruet,
Et miserum dextræ protegat vmbra tuæ.

VI.

Nil sum, nulla miser noui solatia, massam
Humanam nisi quod tu quoq; Christe geris,
Tu me sustenta fragilem, tu Christe gubernas,
Fac vt sim massæ surculus ipse tuæ.

G S

Hoc

*Hoc mirum fœdus semper mens cogitet, vno
Hoc est, ne dubita, fœdere parta salus.*

VII.

*De matre Cananæa,
Matth. 15.*

*Quantus erat dolor in Cananæa Matre puella,
Cuius mens furijs exagitata fuit.
In tanto nunc est Ecclesia maesta dolore,
Doctorum furias cum videt atq; Ducum.
Sed tu Gnate Dei gemitus audito precantum,
Nulla venit nobis te nisi dante salus.
Tu procul à nobis sæuos depelle furores,
Et sanes verbo pectora nostra tuo.
Quamuis ira tui nos vrget iusta parentis,
Et sumus vt turpes nos rea turba canes.
Attamen vt timide sub mensa captat herili,
Esuriens modicas parua catella dapes.
Sic cum dira fames nostros absumpserit artus,
De mensa petimus pabula Christe tua.
Gnate Dei generis nostri cum sumpseris artus,
Nos gerat infirmos hæc tua massa precor.*

VIII.

*Ioh. 17. Sit dilectio tua in eis,
qua me diligis, &c.*

Næ

Nec tu gnate Dei maius meliusue rogare
 Æternum poteras, optime Christe, patrem.
 Quam quali σοφῶν semper te diligit ipse,
 Diligat & simili nos ut amore pater.
 Nec tribui nobis hoc possit munere maius,
 Quid nati posset maius amore dari?
 Non apud æternum facis irrita vota parentum,
 Affirmat iurans hoc pater ipse tibi.
 Erga nos etiam es patrij tu pignus amoris,
 Iussus pro nobis debita λύτῃα dare.
 Nos igitur quanquam sumus ægra & sordida massa,
 Credimus ista tamen munera summa dari,
 Confisq; tua prece Christe pericula nostra,
 A summo petimus cuncta parente regi:
 Tuq; tuo serues infirmos numine, qui vis
 In nostris viuens mentibus esse λόγος.

IX.

Precatio.

Quod λόγος æterni demissus ab arce parentis
 Factus & humana victima carne fuit.
 Hæc est diuina sapientia tradita voce,
 Quam verax testis comprobat ipse Deus.
 Tanta Dei bonitas, & tanta hæc fœdera cerni
 Non possunt, doceas tu nisi corda Deus.
 Vis autem agnosci λόγος, ac ut nuncius ires
 Misisti, nobis pignus & esse iubes.

Το παρ

Te pater ipse simul vis & tua munera sumi
Te tribuens nobis & tua dona, fide.
Ergo Gnate Dei nobis da Christe precamur,
Notitiam Patris, notitiamq; tui.
Eg; tuo flammis in pectora spargito nostra,
Vt celebrent vero semper honore Deum.
Et tua sit concors crescatq; Ecclesia, & vna
Voce tua laudes & tua dona canat.

Item :

Vespera iam venit nobiscum Christe maneto,
Extingui lucem nec patiare tuam.

X.

Pro argonautis.

Oppressit reducem, quam rexit, Iasona nauis
Qua tulit auricomi velleris acer opes.
Non te Christe tamen, quam tu regis, opprimet argo,
Sed victor seruas hanc etiam incolumem.
Nos ergo in portum deducas, atq; gubernes
Deleri nautas nec patiare tuos.

XI.

Pro incolumi reditu.

Christe tuos vates educito saltibus istis,
Rursus & incolumes in tua templa loca.

Incen-

*Incendasq; animos tenerasq; resoluito linguas,
Ut possint laudes concelebrare tuas.
Vis etenim infantum laudari voce, dabisq;
Ingenijs vires eloquiumq; pijs.*

XII.

Optime Christe tuæ quæso benedicito turbæ
Ac inter vitæ sæua pericla tege.
Tu dabis vt cernat verè esse patremq; Deumq;
Certa venit nobis, si miserere, salus.
Placatumq; animum, vultusq; ostende paternos.
Prospera; eueniant cuncta fauore tuo.

XIII.

Die Pentecostes.

VOX tua Gnate Dei est, accendere velle parentum
Æternum flatu pectora nostra tuo.
Promissumq; iubet munus votisq; fideq;
Poscet vt hic cœtus qui tua iussa colit.
Hac igitur freti Christe optime voce rogamus,
Ignis vt inflammet pectora nostra tuus.

XIIII.

*Precatio in conuentu colloquij
VVormatiensis.*

ÆTERNI vita effigies splendorq; parentis,
Custodem nobis quem pater esse dedit.

Quia;

Quiq; tibi semper mansurum colligis agmen
Ex hac quam finxit mole paterna manus.
Nos rege qui cupimus veros tibi reddere honores,
Afflatuq; moua pectora nostra tuo.
Et nostras defende domos turbamq; tenellam,
A te quæ solo poscere nouit opem.

XV.

Esaias XXX. Dabit vobis Dominus
panem arctum &c.

Quamquam vrbes & regna ruunt & nulla videtur
Doctrinae sedes firma futura pie.
Non tamen has inter Christus perijisse ruinas
Agmina, quæ discunt dogmata vera, sine.
Sed dabit hospitium nobis, donoq; modeste
Hoc inter iussit tanta pericla frui.
Sic patris æterni dicunt dulcissima verba,
Nos omnes semper quæ meminisse decet.
Doctorem verum panes vndasq; salubres,
Munera sed vobis cum cruce tanta dabo.
Non tamen ærumnæ vestræ sine fine manebunt,
Mox aderit cunctis meta statuta malis.
Æterni Gnatum patris tua lumina cernent
Lætus & æterni luce fruere Dei.
Hæc spes discenti tribuat solatia certa,
Irrita non fient vota laborq; pij.

Psalmus

XVI.

**Psalms CXXVII, Nisi Dominus
ædificauerit &c.**

Quod struis & cælo certas educere molem,
Frustra erit, hoc condat ni Deus autor opus.

Quod vigilas, urbemq; tuo vis Marte tueri,
Falleris, excubias ni Deus intus agat.

Et quanquam gratos somnos abruperis ante,
Quam reuehit clarum lucifer ipse diem.

Longa dies quamuis tristi consumpta labore est,
Ac operæ partem nox quoq; sera trahat.

Nil tamen assiduæ profunt curæq; laborq;
Si non aspirent numina summa tibi.

Seruat alitq; pios rerum pater optimus, inde
Commoda sunt vitæ cuncta petenda tibi.

Non domus ipsa sibi, non vrbs creat ipsa patronos,
Fœlices ciues datq; facitq; Deus.

Impetus est qualis volucris, rapidæq; sagittæ,
Figitur in iusso quæ procul acta loco,

Sic quocunq; rapit diuinus Spiritus illos,
Virtuti cogunt cedere cuncta suæ.

Non fortuna viros, non virtus deserit vnquam,
Nec ruitura suæ mœnia sunt patriæ.

XVII.

De initio noui anni.

1234

1234

Ipsē Deus sapiens verbo qui cuncta creauit,
Et certis annum legibus ire iubet.
Efficiat nobis veniens sit faustus ut annus,
Et clemens dextra nos tegat ipse sua.
Et quoniam gnatum misit, qui colligat agmen,
Cuius sit doctor, vita, caputq; λόγος.
Hic λόγος aeterno natus patre semper adesse.
Et custos nobis & caput esse velit.
Viribus humanis non est Ecclesia tuta,
Regum praesidijs orphana mæsta caret.
Sed nostram indueris cum miro foedere massam,
Gnate Dei semper nos tua membra regas.
Et facias, tecum nos vnum ut simus in æuum,
Vera laude tuus quò celebretur honos.

XX.

Ad mensam.

Quod sumus & tegimur, dulces quod carpimus escas,
Omnia credamus muneris esse Dei.
Sufficit hic etenim vires alimentaq; rebus,
Sustentat verbo cuncta creata suo.
Mortales miseros, pecudes, armenta, volucres,
Implumem coruum vestit alitq; Deus.
Ergo debetur quædam reuerentia mensæ,
Ergo decet grata sumere mente dapes.
Non trahat in præceps cæcum ἑσλίμια pectus,
Amemor ut dubitet soluere vota Deo.

Sicnt

Sicut Centauri conuiuia barbara ducunt,
Ignari victum, qui dedit, esse Deum.
Gustatura cibos solita est libare vetustas,
Qui mos à sanctis patribus ortus erat.
Sic quoq; nostra pios præmittant fercula cætus,
A prece principium de prece finis erit.

XXI.

In peregrinatione.

GNate Dei tibi perpetuum qui colligis agmen
In terris, purè quod tua dicta sonet.
Nos rege, & ad nidos clementer ducito nostros,
Nulla salus nobis te nisi dante venit.
Et fac præcones laudum nos esse tuarum,
Notitiam extingui ne sine Christe tui.

XXII.

Psalmus CXI. Confitebor Domino, &c.

Quas laudes tibi nos pater canemus,
Quæ præconia, maximisq; factis
Dicemus? manifesta signa nobis
Monstrasti bonitatis & fauoris,
Ut curæ tibi nos sciamus esse,
Escam namq; pijs pater dedisti,
Et tradis Cananæa regna nobis,

H

Mansu-

Mansurum quoq; fœdus omne in ævum
Fecisti, rata sunt, eruntq; semper,
Quæ dicis pater atq; polliceris.
Defendes populum tuum, atq; mittes
In terras Dominum, ille liberabit,
Et nos proteget & procul fugabit
Ærumnas, mala cuncta, reddet ille
Vitæ gaudia sempiterna nobis.
Ergo omnes Dominum Deum timete,
Nam prima est sapientia hunc timere,
Quisquis iussa Dei facit, colitq;
Is demum sapere optime est putandus.

XXIII.

Psalms CXXII. Lætatus
sum in his &c.

Summe Deus nobis patefacte in rupe Sinai,
Nostra tibi grates pectora & ora sonant.
Quod sancis Solymis vt templi immota sit omni
Tempore dehinc sedes, quod tua dicta sonent.
Curia stat nobis sapiente ornata Senatu,
Voce tua patriam consilioq; regens.
Pectora cunctorum dulcis concordia iungit,
Et studio ædificant mœnia nostra pari.
Isaciasq; tribus cunctas huc ire necesse est,
Cædenda est alio victima nulla loco.

Nie

Hic vox doctrinae spargatur ut unica pura.
Quam nobis caelo tradidit ipse Deus.
Ipsius ut bonitas in toto luceat orbe.
Notaque sint gnati munera magna sui.
Restituit nobis vitam qui labe remota,
Iustifica saluos & facit esse fide.
Hic fons doctrinae sit lymphidus inde fluentis.
Non ficto Deus ut possit honore coli.
Posteritas in qua Davidis regna tenebit,
Hic semper sedes non peritura manet.
Diligite hanc Solymen, & grato reddite corde.
Debita cuncta illi munera, vota, preces.
Qui fouet officijs hanc iustis, atque tuetur,
Proteget hunc semper dextera magna Dei.
Sit tibi pax & vera salus Ecclesia semper,
Quae discis studio dogmata sancta pio.
Fausta meos propter fratres, propterque propinquos
Opto tibi, & templi ne labefiat honos.

XXIII.

Gratiarum actio pro beneficio nati
& exhibiti Christi.

Omnipotens aeternae Deus, qui cuncta creasti,
Nostra tibi grates pectora & ora sonant.

H 2

Quod

Quod genus humanum non dira in morte relinquis,
 Effigiemq; tuam non perisse sinis.
 Sed gnatum donas, qui nostros induit artus,
 τὸν λόγον αἰδίου πατρὸς ὑψίστου.
 Hic est promissus patribus cognomine Siloh,
 Isacide gnatos ut moriture doces.
 Namq; erit hic χορίω similis tenera atq; cruenta
 Fascia, pro nobis victima quando fuit.
 Cumq; sit Emanuel, non tantum crimina tollit,
 Gaudia sed reddit non moritura p̄ys.
 Semper adest nobis, semper sibi colligit agmen.
 Ἐterni λόγῳ hic, viua & imago patris.
 O res mirandas, mirando fœdere iuncta est.
 Humani generis languida massa Deo.
 Credimus hæc tibi gnate Dei, sic credere voci
 Pro latæ ex patrio præcipis ipse sinu.
 Sed tamen hæc fidei modica est scintillula, fias
 Auxilio petimus fortior illa tuo.
 Ac veluti lucis radios Sol spargit in orbem.
 Tu Sol iustitiæ nos rege luce tua.
 Et non extingui patiare in pectore nostro,
 Notitiamq; tui notitiamq; patris.
 Hospitiumq; tuæ doctrinæ protege Christe,
 Emanuelq; tuo semper adesto gregi.

XXV.

De Angelis.

Dicimus

Dicimus grates tibi summe rerum
Conditor, gnato tua quod ministros
Flammeos finxit manus angelorum
Agmina pura.

Qui tuæ lucis radijs vibrantes,
Te vident lætis oculis, tuasq;
Hauriunt voces, sapientiæq;
Fonte fruuntur.

Hos nec ignauum sinis esse vulgus,
Nec per ingentes volitare frustra,
Ætheris tractus, temerè nec inter
Ludere ventos.

Sed iubes Christo comites adesse,
Et pios cœtus hominum tueri,
Qui tuas leges venerantur, atq;
Discere curant.

Impiis ardens odijs & ira
Nam tuis castris Draco semper infert
Bella, qui primus scelus atq; mortem
Intulit orbi.

Hic domos, vrbes tua templa, gentes,
Et tuæ legis monumenta tota,
Et bonos mores abolere tentat
Funditus omnes.

Interim sed nos tegit angelorum,
Quæ ducem Christum sequitur caterua,
Atq; grassantis reprimat cruenta
Arma Draconis.

H 3

Ango

Angeli Lothon Sodomæ euentur,
Inter infestos Elisæus hostes
Angelis cinctus nihil extimescit

Bellica signa.

Tutus est inter medios leones
Angelis septus Daniel Propheta,
Sic tegit semper Deus his ministris.

Omnia nostra.

Hoc tuum munus celebramus vnâ,
Et tibi noster chorus, angeliq;
Gratias dicunt simul accinentes.

Conditor alme.

Et tuo templo vigiles vt addas
Angelos semper, populoq; gnati
Qui tuum verbum colit, obsecramus

Pectore toto.

XXVI.

De S. Iohanne Baptista.

Æ Terno gratias patri
Omnes canant Ecclesie
Quod nuncium verbi sui
Iohannem nobis miserit.

Hic mores exui malos
Iussit, metuq; iudicis
Mox adfuturi terruit
Superbas mentes omnium.

Rursusq;

Rursusq; perculos metu,
In spem vitæ certam vocat
Et monstrat agnum digito
Qui placat vnicus Deum.

Hæc ille firmo pectore
Docet, Christumq; prædicat
Venire, ceu solem nouum
Prodire aurora nunciat.

Nec Pharisei spiritum
Fregerunt ingentem viri.
Helias alter hic fuit.
Hypocritas dum arguit.

Te summe rogamus pater,
Vt corda nostra suscites,
Vt verè possint credere
Iohannis testimonio.

XXVII.

De Maria genetrice Dei.

ÆTerne gratias tibi
Dicamus omnes conditor,
Quod inter hostes plurimos
Ecclesiam seruas tamen.

Vt inter arma gentium
Herodis & satellites,
Interq; tetros dogmatum
Furores, & deliria.

Seruas Mariam virginem,
Domumq; castæ Elisabeth,
Quæ prædicant munus tuum.
Datumq; Christum nunciant.

Non Pontifex, non Princeps.
Etsi sciunt oracula
Vatum, venisse nouerant
Salutis autorem nouæ.

Sed dulcis hæc Elisabeth
Et virginis congressio
Arcana promit cæteris
Verè Deum colentibus.

Aluoq; fœtus conditus
Longo sacerdotum agmini
Agnoscit ignotum ducem,
Adorat & gestu suo.

Hæc prima Synodus fuit,
Testata de Christo duce,
Postquam statuto tempore
Verbum patris factum est caro.

Accensa testimonijs
In corde nostro talibus
Colat fides & inuocet
Christum Mariæ filium.

Opemq; spes firma petat.
Missumq; credat à patre,
Ut inuocantes adiuuet
Malisq; cunctis liberet.

De

XXVIII.

De venis metallicis precatio.

Non casu volucres Atomi sine mente ruentes,
Hanc mundi formam progenuere nouam.
Formatrix sed mens sapiens ac optima mundi est,
Omnia quæ mira condidit arte Deus.
Consilioq; sagax varios distinxit ad vsus,
Et prodesse homini cætera cuncta iubet.
Et clara impressit multis vestigia rebus,
Agnosci sapiens conditor vnde queat.
Hæc bonitas celebranda tua est, Deus optime, semper
Fac gratæ mentes ve tua facta canant.
Quare etiam grates pro tanto hoc munere dico,
Quod certum est artis tantum opus esse tuæ.
Intima quod venas sparsisti in viscera terræ,
Vt sibus vt nostris apta metalla ferant.
Lactea vbi fumis hydrargyra mixta coquuntur,
Sulphureis fibræ semina prima nouæ.
Dantq; alias formas cœlestia lumina massis,
Et vagus in terris hoc iuuat ignis opus.
Sed satis effari queat hæc miracula nemo,
Hoc certum est nasci cuncta fouente Deo.
Vis etiam nostro quæri hæc tua dona labore,
Legitimos vsus & tua dicta docent.
Mandasti quondam fieret tibi vt aurea sedes,
Intra aditum templi conditor alme tui.

H S

Iussi-

Iussisti binas argenti pendere drachmas,
Ut seruaretur religionis honor.
Et iustum esse doces, par compensatio cum fit,
Sic vis pro sumpta merce nomisma dari.
Cumq; probas operas fossorum, Ecclesia sepe
His collecta locis fida placensq; tibi est.
Strymonia docuit nam Paulus in vrbe Philippis,
Hic vbi tunc auri vena opulenta fuit.
Diuitiasq; loci celebravit longa vetustas,
Vrbs ibi nam Datus non minor ante fuit.
Sed cœpit Pauli doctrina ditior esse,
Qui populi mores prædicat atq; fidem.
Exul vbi viduæ pietate exceptus Elias.
Sidonia quondam non procul vrbe fuit.
Hic à conflatis antiqua Sarepta metallis,
Artem & opus monstrat nomine clara suo.
Multa bonæ mentes exempla hinc sumere possunt,
Quæ formant mores, quos probat ipse Deus.
Esse Deum verum, patefactum in rupe Sinai
Norint, qui mundum condidit atq; regit.
Quiq; redemptorem misit de virgine natum,
Qui vna æterni patris imago sui est.
Vocem Euangelij qui dura in pectora spargit,
Fœcundat montes semine vt ipse dato.
Addit & huic vitam, cœlesti lumine voci,
Afflatu mentes vrit & ipse sua.

Sequuntur

Sequuntur nunc duæ vltimæ partes
Catechismi, Sacramentum Baptismi &
Cœna Domini.

Quia verò non inueni versus in scri-
ptis Domini Philippi, quibus hæc doctri-
na declaratur, quanquam in orationibus
ipsius, in locis & alijs scriptis extat lucu-
lenta & neruosa declaratio, bono animo,
simplici & pio studio, subiicere volui hæc
carmina D. Iohannis Stygeliij, poëtæ cla-
rissimi: Deinde addidi aliquid ex scriptis
poetarum veterum Ecclesiasticorum, &
iudico has annotationes multum fructus
esse allaturas omnibus, qui non tantum
sua nomina Christo dederunt: sed etiam
qui bonam militiam militare, fidem ac
bonam conscientiam retinere non dubi-
tant, magnum enim pondus & momen-
tum est & in verbis atq; rebus. Postre-
mò addidi versus clarissimorum poëta-
rum qui adhuc in viuis sunt.

DE BAPTISMO,

Iohannes Stygelius.

In

I.
In arcam Noæ Genes.
capite 7.

Cum Deus elueret pluuijs vltricibus orbem,
Omnis & immissis terra nataret aquis.
Iactatum rapidas cara cum prole per vndas,
Transtulit incol. mem lignea capsula Noen.
Scilicet hæc etiam promisit imagine Christum,
Omnia qui præsens, scitq; videtq; Deus.
Nam velut arborea Noa conseruatur in arca,
Obuia ne rapidis præda feratur aquis:
Sic quoq; credentes Christo seruamur in vno,
In media per quem viuere morte datur.
Ut sonet infestis nimbosus flatibus auster,
In nos vt totus confluat Oceanus:
Hunc via certa pijs hæc arca tuebitur omnes,
Sola etiam in Christo est, gloria, vita, salus.

II.

Transitus per mare rubrum, ima-
go est Baptismi.

VT Deus Isacidam dubio ex discrimine gentem
Attonitum refluis per mare duxit aquis.
Ereptamq; truci minitantis ab ense Tyranni,
In sacra fœcundi transtulit arua soli:
Sic etiam infantes dum sacro fonte lauamur,
Per liquidas iterum dum generamur aquas.

Eri-

Eripimur sc̄ui reuocati ex fauce Draconis,
Qui scelerum & mortis pectora mole premis.
Vtq; Deus dulcis saturauit corpora Manna,
Dum colit optatum gens Iacobæa solum.
Corpore sic nobis pastis & sanguine Christi,
Æternæ vitæ pabula læta dabit.
Gloria Christe tibi, per quem pater omnia præstas
Per quem peccati triste remittit onus.
Huc ades, & rubro mersos in turbine ponti,
Iustitia patri nos age redde tuo.

Veteres Poetæ.

I.

Prudentius.

Cultor Dei memento
Te fontis & lauacri
Rorem subisse sanctum,
Te Chrismate innouatum.
Fac cum vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem, locumq; cordis
Crucis figura signet.

II.

Sedulius.

HVnc Baptista potens vt vidit ab amne Iohannes,
(Quem, matris dum ventre latet, nõdumq; creatus,
Sense-

Senserat, obstruso iam tunc sermone prophetes,
Ut mutō genitore silens, cui munera linguae
Post noni tacitura diu spiramina mensis
Parto redduntur nato) mox praedicat : Agnus
Ecce Dei, veniens peccatum tollere mundi.
Tollere cum dicit, quod non habet, hoc mihi tollit :
Non mala ut ipse gerat, sed ut ipse nocentia perdat,
Qualiter in medias dum lux praecleara tenebras
Funditur, & proprium non obfusca serenum.
Decutit, expulsas illaesis vultibus umbras.
Sic delicta fugans saluator nostra gerendo
Tersit, & à tactu procul euanescere iussit.
Tunc vada torrentum simplex ingressus aquarum,
In se cuncta lauat nostrae contagia vitæ
Ipse nihil quod perdat habens, sanctoq; liquentes
Corpore mundavit latices, lymphasq; beavit
Gurgitis, & proprijs sacrauit flumina membris.
Senserunt elementa Deum, mare fugit, & ipse,
Iordanis refluxas cursum conuertit in vndas.
Namq; Propheta canens, quidnam est mare quod fugis,
inquit,

Et tu Iordanis retro quid subtrahis amnem ?
Ergo vbi flumineum post mystica dona lauacrum
Egrediens Dominus, siccās calcavit arenas,
Confestim patuere poli, sanctusq; columbae
Spiritus in specie Christum vestiuit honore,
Mansuetumq; docet, multumq; incedere mitem
Per volucrem quae felle caret, natoq; vocato

Voco

Voce patris, triplici Deus ex ratione probatur,
Quod pater & natus, quod Spiritus est ibi sanctus.

III.

Nunc quisquis semel allatam seruare salutem
Optas, signatum potius signo inspice Christum.
Verus enim atq; vnus firmati fœderis arcus
Ille Deum atq; homines inter, qui virgine carne
Virgineo ex utero sumpta, iam munere lucet
Multiplici in cœlo varius, sed fulgidus, omni
Vitalem monstrat sacrati pignoris arcum,
Hunc coram aspicias, quisquis baptisate tinctus,
Ad cœlum liber culpâs pereuntibus ibis.
Quod verò sparsis Noë saluatur in vndis,
Baptismi hinc formam Petro testante docemur.
Arca vetus Noë, Christi est Ecclesia, per quam,
Extra etiam quem nemo potest saluari: ergo
Quicumq; es Christi baptisate lotus in arca,
Hoc votis precibusq; petas, hoc fletibus opta:
Ne redeant peccata tibi, ne mersa leuentur.
Mortua ne surgant, neu debeat a rebellent.
Ne post ablatum valeant discrimina crimen,
Et flammam timeas, quia iam non suppetit vnda.

IIII.

Quod verò Ægyptus lapsis euaditur vndis,
Euafoq; mari: nostri illa figura lauacri est.

Cum

Cum Pharao infernus sacris submersus in vndis,
Ingemit è tanto miseros discrimine lapsos.
Nos verò Christi solennem in morte triumphum
Baptizati agimus, tanta est Baptismatis eius
Gratia, quo veteris peccatum expellitur Adam
In nobis, viuitq; nouus pereunte vetusto,
Quo mala noxa perit, quo virtus inclyta crescit.
Israel verus sacris quo tingitur vndis.
Hæc præcurrenti signantur dona figura.

V.

Iuuenius Hispanus.

I Amq; Galileos conscenderat anxia montes
Mandatis Christi concursans turba suorum.
Cernitur ecce suis proles veneranda tonantis,
Illum procumbens sanctè chorus omnis adorat,
Nec tamen in cunctis pariter fundata manebat.
Pectoribus virtus: nam pars dubitabat eorum.
Tunc sic discipulos clarus compellat Iesus:
In cælo & terris genitor mihi cuncta subegit,
Me pater est vobis dignatus mittere lucem.
Gentibus haud aliter nunc vos ego mittere cunctis
Institui, vestrum est cunctas mihi iungere gentes:
Pergite, & ablutos homines purgantibus vndis
Nomine sub sancto patris natiq; lauato
Viuisici pariter currant spiramina flatus,
Ablutisq; debinc nostra insinuate docentes

Præco-

*Præcepta, vt vitam possint agitare perennem,
Nec vobis vnquam nostri præsentia deerit,
Donec consumens dissoluat secula finis.*

QVINTA PARS SACRAMENTVM *Altaris.*

I.

Prosper.

Magnum præsidium est sacro libamine pasci,
Si cor participis crimina nulla premunt.
Nam geminat sibi met peccati pondera, quisquis
Quæ bona sunt, sumit; quæ mala, non refugit.

II.

Iuuenicus Hispanus.

Hæc vbi dicta dedit, palmis sibi frangere panem.
Diuisumq; dehinc tradit, sancteq; precatus,
Discipulos docuit, proprium se tradere corpus.
Hinc Calicem sumit Dominus, vinoq; repletum
Magnis sanctificat verbis, potumq; ministrat,
Edocuitq; suum se diuisisse cruorem.
Atq; ait: Hic sanguis populi delicta remittet,

I

FINIS

Hunc potate meum : (nam veris credite dictis)
Posthac non vnquam vitis gustabo liquorem,
Donec regna patris melioris munere vitæ
In noua me rursus concedent surgere vna
Exin cantato sanctis concentibus hymno,
Montis oliueti conscendunt culmina cuncti.
Talia dum Christus depromit pectore verba :
Omnes præsentis noctis vos tempore longè
Disperget, miserè deserto principe, terror.
Sic etenim scriptum est : pastoris casibus omnes
In diuersa fugam capient per rura bidentes
Post vbi vita nouos cæli mihi reddet honores,
Præueniam, vestrosq; choros genitalibus aruis
Grata Galilææ volitans per rura docebo.

III.

Sedulius.

ANnua tunc sacræ celebrans per munera Cœnæ
Paschales ex more dapes, humilemq; ministrum
Se faciens, & grata suis exempla relinquens,
Assurgit, famulisq; libens famulatur, & omnem
Linteolo accinctus tantum inclinavit honorem,
Discipulis vt sponte lauans vestigia cunctis,
Nec iudam exciperet, quem proditionis iniquæ
Nouerat autorem, sed nil tibi gloria sæue
Traditor illa dabat, pedibus consistere mundis,
Qui sensu pollutus eras : velut omne sepulchrum

Exte-

Exteriora gerens albæ velamina formæ
Sordibus interius, fœdoq; cadauere plenum.
Nec, Dominum latuere doli, scelerisq; futurè
Prodidit autorem, panem cui tradidit ipse
Qui panis tradendus erat, nam corporis atq;
Sanguinis ille sui postquam duo munera sanxit,
Atq; cibum potumq; dedit quo perpete nunquam
Esuriant sitiantq; animæ sine labe fideles:
Protinus in Iudam, sedes vbi liuor habebat,
Spiritus intrauit teterrimus, armaq; sumens
In Dominum seruile dedit consurgere bellum.

DE SACRO BAPTIS- mo Matth. & Marci vltimo

Iohannis Sauromanni.

CHristus ad æthereas cum vellet scandere sedes,
Dixit discipulis talia verba suis.
Ite per extremas, ô vos mea viscera, gentes,
Cunctos doctrinam ritè docete meam.
Inq; Patris, Natiq; & Flatus nomine sancti,
Mortales vndis sponte lauate sacris.
Nam qui crediderit, lotusq; erit amne salubri,
Hunc bona perpetuo vita, salusq; beant.
Qui sine saluifica fuerit pietate, fideq;
Hunc bona destituet, vita, salusq; simul.

I 2

Geor-

Georgij AEmilij.

ITe per immensum, quacunq; habitabilis, orbem,
Atq; Euangelium gentes efferte per omnes,
Quas Deus vt mundum possent habitare creauit.
Quisquis crediderit, sacraq; lauabitur vnda,
Hunc æterna salus & cœlica vita manebit.
Verum crediderit qui non, damnatus ad circum,
Perferet æterni stimulos flammâsq; doloris.

Georgij Fabricij.

IN cœlis, terraq; mihi data summa potestas,
Natus ab æterno hæc munera patre fero.
Ite docete meo cunctas in nomine gentes,
Quas ingens vasti circulus orbis obit.
Imperioq; Dei totum submittite mundum,
Atq; Euangelij luce præite mei.
Quosq; iuuat vestris placidas dare vocibus aures,
Saluifica viui tingite fontis aqua.
In patris inq; meo, sanctiq; in nomine flatus,
Fœderis accipiant mollia vincla noui.
Inde mei discant mandata capeffere verbi,
Et verum tota mente timere Deum.
Ite, nec este vnquam pauida formidine segnes:
Prouebet inceptas aura secunda vias.
Donec erit tellus, & culti machina mundi,
Ipse meo præsens numine semper ero.

Adami

Adami Siberi.

Soli data est mihi potestas à patre,
Tellure quæ cæloq; sunt rerum omnium:
Ergo ite in omnes, qua patent, mundi plagas,
Euangelij cunctis perferte nuncium,
In nomine Patris, filij atq; Spiritus
Sancti lauantes, vt renatæ pareant
Gentes, meis obtemperentq; legibus.
Quicumq; credet & sacri lauabitur
In fontis vnda, viuet omni tempore
Beatus: At quicumq; non credet, luet
Apud inferos in igne pœnas perpeti.

Georgij Mylij.

Cum Christus superas ascendere victor ad arces
Vellet, discipulis talia verba refert.
Ite igitur, totum populosq; docete per orbem,
Spargiteq; æterni dogmata vera Dei.
Et baptizantes omnes ex ordine gentes,
Abluite in trini nomine queng; Dei.
Qui baptizatus mea verba fidelia credet,
Ille mihi cuncto tempore saluus erit.
Sed qui sacra mei contemnet dogmata verbi,
Hunc æterna premet vindicis ira Dei.

Henrici Molleri
Hefsi.

CHristus Olympiacæ rediturus ad æthera sedis,
Fecit Apostolico verba suprema gregi:
Ite vagi magnum terræ per totius orbem,
Ac Euangelij scita docete mei.
Edoctasq; sacro perfundite flumine gentes,
Idq; per vnus nomina trina DEI.
Qui benè crediderit sacro baptisate lotus,
Fælix æthereas ille tenebit opes.
Sed cui nulla fides, cui mens incredula languet,
Infælix stygias ille subibit aquas.

ALIVD.

CHristus ad excelsi scansurus limen Olympi,
Dixit discipulis talia verba suis.
Ite, per immensumq; ostendite gentibus orbem
Saluificaturæ religionis iter.
Inq; Patris, Natiq; & sancti nomine Flatus,
Sacro conuersas amne lauate tribus.
Si quis crediderit, sacrisq; lauabitur vndis,
Ætheris æternas incolet ille domos.
Qui non crediderit, signis nil motus apertis,
Heu miser in stygias ille vehetur aquas.

Item

Item.

Talia discipulis est Christus verba locutus,
Ut Deus ad superi scanderet astra poli.
Orbem per totum vestros intendite gressus,
Tradentes legis dogmata pura meæ.
Et patris, & nati, flatusq; in nomine, gentes,
Saluificoq; omnes amne lauate reos.
Qui credet, fueritq; sacra baptismatis vnda
Tinctus, cœlestes incolet ille domos.
Ast indurato qui pectore credere nolit,
Damnatus, stygiæ præda paludis erit.

Item.

Limina cum Christus conscenderet ardua cœli,
Tali discipulis voce locutus ait:
In terrena pedes intendite climata vestros,
Per mundi varias triplicis ite plagas.
Informate meo verbo rude vulgus ubiq;
Quod ritus dubiæ religionis habet.
Nomineq; in Patris, Natiq; & Flaminis, omnes
Tingite, qui falsam deposuere fidem.
Nam qui crediderit, sacraq; lauatur in vnda,
Is poterit superas incoluisse domos.
Sed toto forsân qui pectore credere nolit,
Incolet inferni tartara nigra ducis.

DE SACROSANCTA

Coena Domini, Matt. 26. Mar: 14.

Luc: 22. I. Corinth. II.

Marci Hieronymi Vidæ.

Ipsè heros puras fruges, properataq; liba
Accipiens, frangensq; manu, partitur in omnes,
Inde mero impleuit pateram, mox talia fatur:
Hoc corpus nostrum est, hic nostri sanguinis haustus,
Vnus pro cunctis quem fundam sacra parenti
Hostia, vt antiquæ noxæ contagia tollam.
Vos ideo, quoties positas accedere mensas
Contigerit, sacrasq; dapes libamina iussa:
Funeris his nostrum mæsti referetis honorem,
Et nunquam istius abolefcet gratia facti.

Iohannis Sauromanni.

Nocte Sacramentum Dominus qua traditus hosti
Instituit firmæ foedus amicitia:
Accepit panem, gratesq; vbi rite peregit,
Discipulis tribuit, sic referendo suis:
Hunc, caro namq; mea est, credentes sumite panem,
Quæ modo pro vobis morte necanda datur
Hanc quoties editis, memores bene, clara referte
Ex æquo vitæ facta, necisq; meæ.
Sic vbi cœnauit, viniq; liquore repleta
Apprendit manibus pocula deinde pijs.

Vtq;

Vtq; patri grates solida pietate peregit,
Porrexit socijs illa bibenda viris.
Atq; ait, hoc iubeo, cuncti simul inde bibatis,
Munera sunt veri sanguinis ista mei.
Quem modo pro vobis, crucifixo corpore fundam,
Quo sit peccati gratia cuiq; sui.
Hunc quoties bibitis, memores bene, clara referte
Ex æquo vitæ facta, necisq; meæ.

Georgij AEmilij.

NOcte sub extrema, Solymo qua traditus hosti
Proditione fuit scelerati Christus Iudæ:
Accepit panem digitis, gratesq; peregit,
Discipulisq; dedit frangens, ac talia dixit:
Accipite vnanimis, cupidisq; absumite linguis,
Hoc verè est nostrum, panis sub tegmine, corpus,
Quod modo pro vobis morti tradetur acerba.
Sumitis hoc quoties (fieri nam sæpè iubemus)
Voce meam mortem toties memorate fideli,
Qualia pro vobisq; tuli feciq; referte.
Hinc vbi pulsa fames, & cœna peracta fuisset:
Accepit calicem, gratesq; iterumq; peregit,
Discipulisq; dedit communi nomine dicens:
Hunc omnes cyathum sacri gustate liquoris.
Iste calix nostri monumentum, & pignus amoris,
Quem damus, est verè nostro de sanguine plenus:
Qui modo fundetur precium pro crimine vestro.

Hunc igitur quoties bibitis, memorate fideli,
Ore meam mortem, vestraq; piamina culpa,
Nostraq; concordi studio benefacta referte.

Georgij Fabricij.

Vltima discipulis præbens conuiuia Christus,
Vespere in hostiles quo datus ipse manus:
Partitur fractum per corpora singula panem,
Verbaq; discipulis fatur amica suis:
Accipite, atq; alacres porrectum sumite panem:
Credite pane sub hoc corpus & esse meum.
Quod pro peccatis frangetur victima vestris,
Tollet & admisi criminis omne nefas.
Hoc cum sumseritis mea tunc benefacta referre,
Et duræ mortis vos meminisse decet.
Distribuens patera mensis quoq; vina remotis,
Et peragens grates, sic memorando, dedit:
Haurite hac omnes (hauserunt scilicet omnes)
Et vinclum sanguis fœderis iste noui.
Pro multis meus hic sanguis fundetur, & ægra
Eluet immundi pectora quidquid habent.
Hunc cum sumseritis, mea tunc benefacta referre,
Et duræ mortis vos meminisse decet.
Ac quoties panem hunc, quoties hæc pocula digni
Accipietis, erit certa parata salus.
Accipite, & passi præconia tollite Christi,
In terras iudex dum rediturus erit.

A dani

Adami Siberi.

Dominus Iesus Christus hostibus suis
Qua nocte Iudæ proditus dolo fuit,
Capiens manu panem sacra, Deo patri
Gratesq; agens, fregit, suisq; porrigens,
Accipite, dixit, edite, corpus hoc meum est,
Quod deditur salute pro vestra: in mei
Hoc facite memoriam, meiq; funeris
Celebrate honorem. Poculum simili modo
Capiens manu, gratesq; agens Deo patri,
Socijs dedit, dixitq; bibite singuli:
Hoc est nouum fœdus meum per sanguinem,
Ablutionem in crimum qui funditur.
Hoc facite quotiescunq; biberitis in mei
Memores honorem, & prædicate meam necem.

Georgij Mylij.

TRaditus à Iuda qua nocte redemptor Iesus
Tristia fata, Deo patre volente tulit.
Condidit æterni firmissima fœdera pacti,
Quæ testamentum iusserat esse suum.
Accepit panem (postquam pro munere iustas
Soluisset grates, & pia vota, Deo)
Fregit &, huncq; suos famulos partitur in omnes
Atq; sacro tales protulit ore sonos.
Sumite diuini cœlestia munera panis,
Hocq; dato vobis corda fouete cibo.

Sub

Sub quo sunt nostri mortalis corporis artus,
Huius & humanæ debile carnis onus.
Quæ se pro vobis iam tristibus offeret aris,
Fiet & æterno victima grata Deo.
Illa caro nostri sit vobis pignus amoris,
Æternæq; ratum fœdus amicitiae.
Nam scelus humanum delebit, & omnia vestra
Obducta veluti crimina nocte teget.
Hanc quocunq; meam comedetis tempore carnem,
Tunc etiam memores vos decet esse mei.
Postquam epulis fuit acta fames, tunc rursus agebat
Grates, & meritas fudit ab ore preces.
Accepitq; simul calicem, vinoq; repletum
Discipulis, dicens talia verba, dedit.
Ex hoc nunc omnes bibite, & gustate liquorem,
Est testamentum fœderis ille nouum.
Hoc si feceritis, vobis peccata remittet,
Vestraq; delebit crimina cuncta Deus.
Hæc etiam quoties, ô pignora chara, bibetis
Pocula saluifico sanguine plena meo.
Vos toties memores debetis fœderis huius
Esse, mei semper quos meminisse decet.

Henricus Mollerus
Hessus.

Noctæ per infidi qua traditus oscula Iudæ
Christus, & à turba captus atroce fuit.

Grates

*Grates accepto persoluit pane, deditq;
Fractum discipulis hæc ita fando suis:
Sumite vescentes hic nostrum corpus habetis,
Id iam pro vestra nempe salute datur.
Hoc quoties sacro vos manducabitis usu,
Corporis id memori fiat honore mei.
His actis, calicem miscens, gratesq; frequentans,
Discipulis inquit distribuendo suis.
Hanc omnes libate, nouæ testamina legis
Constituit nostri sanguinis ille calix.
Qui pro multorum fusus, vestraq; salute,
Extinguit fluxu crimina cuncta suo.
Hunc igitur quoties sacro libabitis haustu,
Sanguinis id memori fiat honore mei.*

*Bernhardus Holtorpius, De
Baptismo, quid sit.*

***N**oscere præstantem sancti Baptismatis vnam
Si cupis, est pietas inspicienda tibi.
Non aqua deducens ex flumine quolibet ortum
Simplex, Baptismi nobile nomen habet.
Est aqua supremi regis circumdata verbo,
Gratia cui summi plena fauoris inest.
Namq; Redemptoris Christi conuersa cruorem
Induit, & sordes pectoris ipsa lauat.*

Man-

Mandatum CHRISTI
Matth. vltimo.

Postquam deseruit Christus loca mæsta sepulchri,
Quo prius exangui corpore clausus erat.
Gaudiat totius mundi spargenda per oras
Discipulis victor præbuit ampla suis:
Quos vbi solatus curarum nube leuasset,
Talia mandati verba notanda dedit:
Ite procul socij, vastum procul ite per orbem,
Lataq; difficili regna subite via.
Spargite per cunctas passim mea dogmata gentes,
Et mea constanti spargite iussa fide.
Per Patris, & Nati, per sancti nomina Flatus,
Vos homines passim fonte lauate sacro.

Vsus Baptismi.

OMnia naturæ vitijs exorta resoluit
Crimina Baptismus, tristia corda leuat.
Aspera dirumpit funestæ vincula mortis,
Et durum Sathanæ conterit ipse iugum.
Omnibus æternæ confert pia dona salutis,
Regnaq; sydereæ monstrat aperta domus.
Pectore qui firmo cœlestia verba sequuntur,
Et credunt stabili mente, fideq; Deo.

Verbum promissionis Mar-
ci vltimo.

Qui

Qvicunq; æthereos accenso in pectore motus
Senserit, ac fidei robora firma suæ.
Si pariter sacro fuerit baptisate lotus,
Inq; salutari corpore mersus aqua,
Arcis olympicæ sublimia regna videbit,
Et pleno fidei pectore saluus erit.
Qui non crediderit, neq; summi iussa tonantis
Conatus fuerit per sua facta sequi,
Ad nigra præcipiti voluetur tartara lapsu,
Atq; ibi perpetuo carcere vincetus erit.
Ut luat atroces propter sua crimina pœnas,
Et ferat æternis horrida fata malis.

Quid perficiat Baptismum.

Non aqua Baptismi cœlestem perficit vsum,
Quæ riuo gelidi fluminis orta fuit.
Sed facit hoc præstans diuino robore verbum,
Quod stabili Christus fœdere iunxit aquæ.
Non etenim poterit Baptismus ritè vocari,
Dogmate quæ sancto fluminis vnda caret.
Est aqua cœlestis qua corpora nostra lauantur,
Nomina Baptismi quæ veneranda gerit.
Hac etenim purgat nostras à crimine mentes,
Spiritus ætherea missus ab arce Dei.

Locus Pauli ad Tit. 3.

Nos Deus omnipotens cœlesti munere saluos
Reddidit, ingenti pro bonitate sua.

Nes

Nos quoq; purgavit per sancta lauacra renatos,
Auxilio flatus conueniente sacri.
Quem Deus æternus donis effudit in omnes,
Per meritum Christi, qui tulit orbis onus.
Iustitiam nobis tribuit quoq; sponte perennem,
Qua licet æthereo semper in orbe frui.
Propterea læti superas ducemur ad arces,
Est vbi perpetuis vita parata bonis.
Spes ea solatur nostras non irrita mentes,
Gaudia quæ monstrat non dubitata pijs.

Quid immersio aquæ de-
signet.

Baptismus veteris mortem designat Adami,
Impia qui prauis semina cordis alit.
Hunc decet extinguere penitus, mergiq; sub vnda,
Cum vicijis pereat mersus vt ille suis.
Hunc decet è medio tolli Baptismatis vsu,
Vt nouus in lotis surgere possit homo.
Qui sine criminibus consumat tempora vitæ
Totius, & sanctæ sit pietatis amans.
Qui fructus fidei castis cum moribus edat,
Et bona iustitiæ semper honesta colat.

Locus Pauli ad Roma. 6.

Nos sumus in mortem cum Christo ritè sepulti,
Per sacra Baptismi fœdera pacta sacri.

AS

*At veluti Christus summa virtute reuixit,
Qui durum potuit frangere mortis onus.
Sic quoq; nos misera viciorum morte leuati
Surgemus, Christi iustificantis ope.
Vtq; sui patris summos ornauit honores
Egregie factis filius ille suis.
Sic quoq; nos mores vitæ referemus honestos,
Iustitiæq; nouum suscipiemus iter.*

DE SACRAMEN- to altaris.

Sacramentum altaris quid sit.

Rex pius illustrem sacra per mysteria cœnam
Instituit Christus, cum moriturus erat:
Cuius in hoc verum, vero cum sanguine, corpus,
Sub pane & vino, traditur ecce pijs.
Vt miseri æterno potuq;, ciboq; fruantur,
Mæstaq; peccati pondere corda leuent.
Sæpius hanc igitur cœlesti munere cœnam
Pectore deuoto nos celebrare decet.

Verba institutionis Christi, ex tribus
Euangelistis, Mattheo, Marco,
Luca, & D. Paulo I. ad
Corinth. II.

K

Noxæ,

16



NOx ea, qua Christus sua tristia funera sensit,
Horrida cum tenebris ingruit orta suis.
Ad sacra discipulos conuiuia sponte vocauit,
Cum fuit illustri Cœna parata modo.
Et postquam supero grates de more parenti,
Exhibita soluit pro bonitate sua.
Distribuit sanctum, quem fregerat, ordine panem,
Verbaq; discipulis talia. Christus ait:
Sumite cœlestem gratanti pectore panem,
Quo latet hoc corpus, quod tegit ossa, meum,
Hoc modo pro vobis tradetur ab hoste nefando,
Ut ferat horrendæ tristia fata necis.
Hoc quoties animo languentes corpus edetis,
Vos memores tanti muneris esse decet.
Vos decet assiduè nostras attollere laudes,
Dum calidus vestri Spiritus oris erit.
Hæc ubi fatus erat, vini quoq; pocula sumsit,
Quæ simili fuerant distribuenda modo.
Et, postquam solito grates de more peregit,
Discipulis dixit talia verba suis:
Accipite hunc calicem vino præstante refertum,
Quo tegitur sanguis corporis ipse mei.
Hic modo pro vobis fundetur, ut omnia purget
Pectora, quæ vicijs contaminata iacent.
Hunc quoties animo sitientes ritè bibetis,
Vos memores nostri nominis esse decet.
Vos decet in mundo nostræ præconia laudis
Spargere, vitalis dum reget ora calor.

Vsuo

Vsus Sacramenti altaris.

E Gregium cœnæ donis præstantibus vsus
Auctoris Christi splendida verba docent.

Ecce meum corpus pro vobis traditur, inquit,
Auferat vt scelerum quod graue fertis onus.

Ecce meus sanguis pro vobis funditur vltro,
Vt purget maculis pectora vestra suis.

Hic bona gratuito præstantur maxima nobis,
Quæ superant amplas totius orbis opes.

Namq; remittuntur simul omnia crimina vitæ,
Tartarei pœnas quæ meruere ducis.

Et noua iustitiæ tribuuntur dona perennis,
Vitaq; cœlesti semper agenda domo.

Hæc bona mortales nulli cognoscere possunt,
Qui meritum ignorant, optime Christe tuum.

Quid perficiat Sacramen- tum altaris.

Non opus hoc cœnæ tam splendida dona meretur,
Quæ supera tribuit summus ab arce Deus.

Nil iuuat hic panis vero sine dogmate Christi,
Nil iuuat hic vini, quod bibis ore, calix.

At pia cœlestis prodest tibi gratia verbi,
Quod iunctum signo protulit ipse DEVS.

Perficit hoc cœnam vitæ, cœnamq; salutis,
Quam decet eximia nos celebrare fide.

K 2

Quis

Quis dignè hoc Sacramento
vtatur.

Hic ego præclaros hominum non improbo ritus,
Qui corpus vigili sobrietate parant,
Illustrem cupiunt quoties accedere mensam,
Aurea quæ nostræ dona salutis habet.
Non tamen hac aliquis dignus ratione putatur,
Sumere quo Christi munera tanta queat.
Ille quidem cœna dignus præstante videtur,
Et iustè meritis vtitur ille Dei.
Omnia qui verè constanti pectore credit,
Quæ Deus in Cœna protulit ipse sua.
Namq; fidem cordis cœlestia verba requirunt,
In quibus est verum quod sine fine manet.
Propterea indignè cœnam sumpsisse videtur,
Qui stabilem cordis non fouet ipse fidem.

De pœnitentia.

Cum dolor ex factis oritur, vitaq; priori,
Quæ sine criminibus non fuit acta malis.
Ne fugias tristi cœlestia numina vultu,
Abijciens animi spemq; fidemq; tui.
Sed potius lesam confirmes robore mentem,
Perpetuo summi fretus amore Dei.
Qui tua placatus votis peccata remittet,
Si modo constanti voce preceris opem.

Teq;

*Teq̄ sua illustri motus bonitate iuuabit,
Pro meritis grates si reuerenter agas.
Ut sacra perdiscas æterni oracula verbi
Assiduè studio rectius ipse tuo.
Utq̄ nouam ducas turpi sine crimine vitam,
Qua fructus fidei, iustitiæq̄ feras.*

De confessione coram Deo.

Confiteare Deo gemitu peccata frequenti,
Et veniam illorum nocte dieq̄ petas.
Crede mihi, subito flagrantem pectoris iram
Leniet, ac pœnas auferet ille suas.
Utq̄ pius genitor natum delicta fatentem
In mundo recipit, perpetuoq̄ iuuat,
Sic quoq̄ conuersum te rursus amore paterno
Suscipiet, firma teq̄ fouebit ope.

De confessione coram mini- stro verbi.

Impia cum vexant afflictam crimina mentem,
Quæ durum patitur læsa doloris onus.
Vulnera pastori fido crudelia monstres,
Continuo medicas adferet ille manus.
Namq̄ tuam horrendo reuelabit pondere mentem.
Et dabit è sacris pharmaca grata libris.
Cumq̄ gerat claues reserantes atria cœli,
Ostendet facilem promptus ad astraviam.

De Absolutione Matth. 16.
& Iohan. 20.

Postquam discipulis documenta salubria vitæ
Tradidit, æterni Christus imago patris.
In faciem illorum sancti spiraminis auras
Flauit, & hos læto protulit ore sonos:
Accipite ô socij cœlestis munera Flatus,
Atq; potestatis sumite iura meæ.
Si qua remittetis peccata dolentibus vltro,
Certa quibus vitæ spes melioris inest.
His etiam in cœlo delicta remissa manebunt,
Et præsto ætherei gratia patris erit.
At quibus in mundo non condonabitis illa,
Cum nolint medicam quærere cordis opem.
His etiam in cœlo peccata retenta manebunt,
Clausaq; supremi regia patris erit.

Euangelium Natiuitatis Chri-
sti, Lucae 2.

Omnia dum strepitu resonant impleta potentum,
Occupat hospitij dum sibi quisq; locum:
Nascitur hyberno Messias tempore Christus,
Quodq; queat nasci, vix habet ille locum.
Sic quantas hyemes contempta Ecclesia perfert,
Dum certum vasto vix tenet orbe locum.

Sed

Sed tamen ignari coguntur cedere Christo,
Qui mundi hoc habitant desidis hospitium.
Nascitur optato Messias tempore Christus,
Nascitur extincta viuida morte salus.
Talia gauiso memorantes nuncia mundo,
Angelici resonant carmina blanda soni.
Nascitur, & vitam Christus mortalibus offert,
Æternæ dederat quos sua culpa neci.
Ille DEum humano generi placabit, & vltro
Eripiet cæcis pectora mersa malis,
Et dabit afflictis veram sperare salutem,
Asseret & vera corda probata fide.
Nostra DEI summas transcendet gloria nubes,
Verus & in populis vndiq; cultus erit.
Agnosens tranquilla Deum pacata quiescet
Mens hominum, & studio dedita pacis erit.
Vnanimes iunget populos sincera voluntas,
Facta patri vero grata timore DEO.
At non hæc illis, quos aut fortuna potentes,
Aut sacer in speciem subleuat ordo, canunt.
Talia sed memorant pastorum nuncia turbæ,
Qui curant vigili pascua læta fide.
Primi illi nati memorant Encomia Christi,
Et spargunt grato nuncia læta sono.
Sic Christo vigilare decet, vigilantibus ille
Destructor mortis mitis adesse solet.
Ingrediens aures diuini concio verbi,
Immotum debet corde tenere locum.

*At quibus infesto torpet mens ægra veterno,
Nunciaq; ad tanti muneris auris habet,
Illi abeant Papæ comites, cæcisq; Tyrannis,
Et pœnas culpæ quas meruere luant.
Nos memori grates agimus tibi pectore Christe,
Officij memores nos tueare Deus.*

Præsepe Christi.

*V*T placuit præsepe DEO, non alta columnis
Regia, non auro clara micante domus,
Quæ sua nascenti præbens cunabula Christo,
Exciperet summa gaudia plena bono.
Sic & adhuc aliquod semper præsepe tuetur,
Præbeat hospitij quod tibi Christe locum.
Exul in orbe dolens, Ecclesia sparsa vagatur,
Et benè vix tituli nomen inane gerit.
Tu tamen huic curas tutum præsepe vaganti,
Et pessum adflictam non finis ire Deus.
Sed veluti Oceani medijs agitata procellis
Asseritur nutu lassa carina tuo:
Sic tua seruat idem patrio præsepe favore,
Quæ comes est verbo gratia iuncta tuo.
Ergò nec hoc prisco vis vlla attriuit in æuo,
Tempore nec poterit nostro abolere furor.
Quantumuis odijs hinc arma, hinc iurgia gliscant,
Certus erit rectis semper in orbe locus.

Nam

*Nam quia natus homo est, hominem natura volentem
Ducit, vt auertat nostra pericla, Deum.
Et quoniam omnipotens Deus est, nos seruat, amatq;
Quos regno adseruit membra renata suo.
Huc ades Emanuel, tecum præsepe prementes
Nos agè fraterno mitis amore tege.
Hoc ego munitus mandato munere fungor
Euentum auxilio Christe relinquo tuo.*

In aurora Natalis Christi:

***P**rospera lux oritur, qua numine læta fauenti
Infantem gestat casta puella Deum.
Natus homo nobis, qui nostros induit artus,
Vt miseros dulci nos releuaret ope.
Ille nisi nostra vestitus carne fuisset,
Mors æterna hominum perderet omne genus.
Ergo agè sancte puer, frater dulcissime Christe,
Qui decus inuicti vindicis vnus habes:
Victor ab æternæ nos adsere carcere mortis,
Adsere nos regno membra redempta tuo.*

In die Innocentium. Euangeli- um Matthæi 2.

***I**mpius è medio Christum quo tollat Herodes,
Sustinet infantum cæde lauare manus.*

K S

Sic

Sic etiam à rabidis Ecclesia pressa Tyrannic
Tristis, & exitio proxima sæpè iacet.
Cum furere incipiunt, sunt Dæmonis organa reges,
Impietas quorum pectora cæca trahit.
Sed velut effugiens crudelia funera Christus,
Enseq; quæsitus tutus Herodis abit :
Tota perit sæuis sic nunquam Ecclesia damnis,
Parte sui semper sed meliore manet.
O felix, omnes qui Christi nomine casus,
Ferre animo nusquam deficiente potest.
Ille suæ iustos referet virtutis honores,
Inq; sinu Christi præmia iusta feret.

Preces à Christo præ-
scriptæ.

A Vtor ô nostræ Deus alme vitæ,
Qui pater gaudes hominum probari,
Quem penes solum est nitidi potestas,
Maxima cæli.
Sicut agnosci cupis & vocari,
Sic doce nostros animos, tuumq;
Da colat vero celebrans honore
Gloria nomen,
Tu tuum in nobis, vitijs remotis,
Inchoa regnum, fideiq; ceptæ
Spiritu lætas renouante mentes
Suggere vires.

Da

Da, tibi parent veluti beati
Caelites, nostra tibi tota vitæ
Præstet in terris ratio timorem,
Præstet honorem.

Consecra mitis bona quæ creasti,
Indies quorum indiget vsus, & quæ
Oprime rebus studijsq; nostris
Commoda nosti.

Pectori culpæ veniam dolenti
Da pater, fractum siquidem dolore
Ut iubes, noxas alijs remittens,
Crimina donat.

Ne finas astu veteris Draconis
Obrui nostras subigiq; mentes,
Arte qui nobis laqueos dolosa
Tendit ubiq;.

Sed memor curæ potius paternæ
Mitiga quidquid ferimus doloris,
Omnibus præsens miseros periculis
Eripe vindex.

Te DEVM laudamus.

TE celebrante Deum laudamus voce potentem,
Te rerum Dominum pectora nostra colunt.
Omnis & æternum te agnoscit, terra, parentem,
Quidquid & immensi circulus orbis habet,
Et chorus angelicus, cæliq; , omnisq; potestas,
Exultant multo laudis amore tuæ.

Militi-

Militiæq; cohors, cœlestis & agmina cœtus,
Exclamant sanctum, te sine fine, Deum.
Omnia plena tuæ sunt maiestatis honore,
Et terræ, & magni machina tota poli.
Omnis Apostolicus chorus, antiquiq; Prophetæ,
Turbaq; Martyrio nobilitata suo,
Terrarumq; fauens Ecclesia sancta per orbem,
Esse patrem immensæ te bonitatis ait:
Et tibi dilecti veneratur nomina Gnati,
Atq; paracleti numina sancta tui.
Sed te Christe Deus, colimus super omnia regem,
Perpetuum & Gnatum credimus esse patris:
Non te hominem spreta piguit de virgine nasci,
Liber homo à stygio quo foret ipse iugo.
Liuida fregisti crudelis spicula mortis,
Vnde patet cœli rursus aperta domus,
Æthere venturus Iudex tu crederis alto,
Pro meritis reddens præmia cuiq; suis.
Ergo tua extensis oramus numina palmis,
Auxilio famulos subueniente iuua,
Qui tibi profuso sunt turba redempta cruore,
Duraq; per mortis vulnera passa tuæ.
Fac quo percipiant æternæ gaudia vitæ,
Et sint cum sanctis pars aliquota tuis:
Hæredem regni populum saluare memento,
Luminis & vultu sanctificare tui.
Dirige per dubij miseros discrimina mundi,
Perferet ad regni gaudia læta tui.

Omnibus

*Omnibus ecce tibi vigiles benedicimus horis,
Et tibi fert laudes quælibet orta dies.
Laudamusq; tuum per secla perennia nomen,
Semper & illa tuæ gloria laudis erit.
Nos sine peccato custodi hac luce diei,
Et rege præsidio nos tua membra tuo,
Propitius miserere tui pater optime cœtus,
Et miserans miserum vise tuere gregem.
Sit super afflictos tua commiseratio seruos,
Qui tibi fidentes credula turba sumus.
In te viue Deus speravi pectore toto
Ne me confusum desperijisse sinas.*

M. K. D.

AD

AD CANDIDVM
Lectorem.

HÆc errata quæ nullius esse videbantur ponderis & momenti adijcere volui, ne lectori scrupulus iniiceretur. Et quia hic libellus commodè potest in scholis iuuentuti proponi: fideles & diligentes præceptores, iudicium prudens adhibebunt, vt illa Epigrammata de Eclipsibus Solis & Lunæ, quæ nos inflammant & inuitant in primo præcepto ad timorem Dei, vel transiliant, præsertim cum astronomicas descriptiones contineant, & difficultatem scholasticis pariant, donec ætate confirmantur: vel breuiter declarent absq; prolixis & intempestiuis demonstrationibus. Oportet enim nos habere rationem ætatis.


Lege inueniet, Litera A 3 versu 6. omina A 4 facie altera V 8. supremo, A 6 facie altera V 19. nomine B 6 V 9. Excultus B 7 V 18. Verè C 6 facie altera V 6. prouebit D 3 V 10. decus coluntq; D 4 V 12. vtq; E 3 fac: alt: V 5. dicitur angelus E 7. stat F 8 V 3 tegat G 5 V 2. parentem G 6 V 7. viua G 7 V 17. moue G 7 f. altera V 4. vt H 5 V 10.

19. 4052

X 2206777

MC





B.I.G.

Farbkarte #13

24
EPIGRAMMATA
REVERENDI
ET CLARISSIMI VIRI
D. PHILIPPI MELAN-
thonis, iuxta partes Catechis-
mi collecta & distri-
buta,

OPERA ET STUDIO
Iohannis Cogeleri, verbum Dei
ex fontibus Israelis haustum
docentis Stetini.



STETINI.

Excudebat Andreas Kelnerus
in officina Eichorniana,

1572.

102

